Kirchner, Friedrich
De Deo omnipraesenti eodemque personali

DE
DEO OMNIPRAESENTI EODEMQUE PERSONALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VIII. MENSIS SEXTILIS A. MDCCCLXXIII HORA X

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUPLICE DEFENDET

FRIDERICUS KIRCHNER

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

H. SCHREIBER, Dr. phil.

TH. WEBER, Dr. phil.

E. PATSCHKOWSKI, Dr. med.

HALIS SAXONUM.

FORMIS GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

VIRO

MAXIME REVERENDO

H. ULRICI,

DR. PHIL. ET P. P. O. HALENSI

D. D. D.

Jamdudum mihi theologicas nec non philosophicas quaestiones studiosissime persequenti nova loci de Deo investigatio maximi momenti esse videbatur. Omnes enim quas de multis doctrinae christianae locis habebam dubitationes facilius clariusque solventur, ratione, quae deo cum mundo intercedat, probabilius disputata. Et quamquam veritatem non consequemur, tamen ita a natura generati sumus, ut etiam atque etiam summas vitae quaestiones investigemus, jam quaerenda veritate delectati.

Atque contemplanti mihi, quid popularis hominum religiosa conscientia de deo eloquatur, duae maxime res ab ea teneri videntur: omnipraesentia dei et personalitas. Nunquam enim pius animus credere desinet, hoc totum universum, licet tot contrariis, mutationibus, malis subjectum, una vi omnia penetrante et conservante ferri. Postulat igitur deum, qui leges, vires, genera singulasque creaturas conservet, qui per tot tantasque vicissitudines naturae et historiae, suum consilium sequatur, qui prope a nobis absit in periculis, tentationibus et malis ac nos revelato suo et in mundo et in homine amore ad aeternam salutem perducat.

Nec vero deum idem esse ac mundum pius animus concedet. Quid? ne creationem quidem vult ex necessitate aut indigentia numinis profectam esse. Atque deum his universi

mutationibus et malis subjici vetat. Quin absolutus, nullius rei indigens, prima causa, lex et substantia illi videtur esse. Secluditur igitur deus a materia, mutatione et malo, quas res concursu permittere non ipse efficere dicitur. Sed ne haec quidem definitio pio animo satisfacit; cogitur nempe sua ut est personalis natura, etiam deum personam esse contendere. Rejecta ergo substantia, licet omnipotenti et sancta, postulatur persona, quae audiat preces, sentiat dolores hominis, quae amet, ametur, sibique conscia se ipsa destinet.

Quem autem fugit, cum in tota nostra dogmatica scientia, tum in hoc loco popularia pectoris testimonia philosophicis notionibus undique ab orientali, graeca et germanica speculatione petitis esse permixta? Nam cum sacra scriptura deum personam esse tam dilucide doceat, ut vel omnes hominum affectus ei adscribat, omnipraesentiam autem nisi dynamicam non commemoret, antiquissima jam speculatio christiana nimis platonicis categoriis utebatur, quam ut claram sibique constantem de deo doctrinam consequi posset. Dein Aristoteles redivivus, orientalibus dogmatibus confusus, christianam philosophiam dominatus est. Novissimis denique temporibus, natura et nostra et universi perscrutata, una plerumque pars altercatim defenditur, multis qui sequuntur erroribus neglectis. Quid enim? qui deum omnipraesentem quidem sed non personalem esse dicunt, nonne cum res tum nos ipsos nostri juris esse negant deoque malum rationale, morale et metaphysicum adscribunt. Ii contra, qui omnipraesentiam negligunt, persona dei in transcendentem existentiam longius remota, dualismo favent, quum et materia deo plane contraria esse neque ipse revelando se nobiscum consuetudine frui posse videatur.

Quas difficultates mecum contemplans optimo studio dignum putavi, ut qua via haec duo de deo testimonia animi nostri secum concilianda sint susciperem.

Priusquam autem ad id venimus, quod proposuimus, brevi dicamus, qua methodo demonstrandi utemur.

Ac praesto nobis sunt tres potissime methodi: dialectica, deductiva et inductiva. Quarum a prima omnino abhorremus, haud paullum enim errare putamus eos,[1] qui illam secuti contendunt: habere unam quamque notionem, accuratius consideratam, in se contrariam sibi negationem, quarum notionum unam in alteram se commutari, ita ut cognitio speculativa ex duabus notionibus comprehensis ad necessariam tertiam progrediatur. Quid? nonne apparet si notiones istae altercatim ad altiorem gradum se tollunt, aut primam notionem non stricte conceptam esse, quippe quae naturaliter secum pugnet; aut unum notionis momentum non recte dilatatum pro toto esse positum; aut contrariam negationem, quae in notione inesse affirmatur artificiosius subductam esse. Quod quam vere a nobis disputatum sit, ut alia praetermittam, ipsis ex verbis Hegelii, qui summus philosophus semper illa methodo usus est, ostendam.[2]) Quem fugit, hic duplicem vocabuli „nichts" vim: absolutam et relativam plane confusam esse? Nam cum illud: „est nihil, quod videatur in puro Esse"

---

1) cf. Erdmann, Glauben und Wissen Brl. 1857, p. 255. Es wird also die Vernunft, indem sie die Wahrheit als ein Werdendes besitzt, oder, was dasselbe heißt, indem sie den Begriff der Wahrheit erkennt, sie ebensowohl anschauen als hervorbringen. Dieses Thun der Vernunft, welches das unmittelbare Anschaun verbindet mit dem durch eigene Thätigkeit vermittelten Hervorbringen, nennen wir Begreifen oder speculatives Erkennen. Ders. Logik und Metaphys. 4 A. Halle 1864, § 18 p. 10. Ders. Leib und Seele 2 A., p. 18—33. Aehnlich J. H. Fichte specul. Theol. Hdlbg. 8. 1846, Vorr. V. und p. 13. — Dagegen Sederholm, ewige Thatsachen, Lpzg. 1845, p. 16. 27. v. Hartmann, Philos. des Unbewußten, Berl. 1871, p. 5—13.

2) Hegel: Es ist nichts in dem reinen Sein anzuschauen, oder es ist nur dieses reine, leere Anschauen selbst. Es ist ebenso wenig Etwas in ihm zu denken, oder es ist ebenso sehr dieses reine Denken. Das Sein, das unbestimmte Unmittelbare selbst ist in der That Nichts. Hegel, W. W. I., 1 Wissensch. d. Logik, Nürnbg. 1812. p. 22, cf. Hegel, Enzycl. 2 A., Hdlbg. 1827. p. 98 § 86. Erdmann, Log. u. Met. p. 19, § 30.

efficiatur si omnia removentur — hoc „nihil“ idem est atque „non aliquid“. Rectius ergo dicendum erat: in puro Esse non aliquid intuemur, quod, quamquam a nobis libenter conceditur, non efficit, ut illud Esse fiat Nihil. —

Quam vero duarum, quae relinquntur, methodorum alteri anteponamus, non dubium nobis videtur. Rejicimus deductivam, quae nec persuadere possit de aliqua re nec omnino, quod gloriatur, nos a primo principio deducat. Quid enim? ii quibus ex primo principio omnia deducuntur, nonne infimo loco siti, semper fraudem suspicabuntur suamque quamvis debilem opinionem retinebunt? Quid? quod sententia ab hoc vel illo principio deducta, quum iidem effectus ex multis causis eveniant, nihil efficit nisi possibilitatem. Nec vero plane existere contendimus, quae vocatur deductiva methodus. Ut si Rothe,[3]) reprobata cogitatione empirica, speculativae methodo, postquam certum aliquid, unde procedat, invenit, summam veritatem vindicat. Unum datum accipit philosophus noster nec plura, postea autem „oculis clausis et compressis“ progreditur nec experientiam respicit prius quam totum systema evolvit. Taceo quod inter se pugnat, si cogitatio, accepto uno principio, omnia ex se gignere opinatur, missum facio, cur tandem unicum nec plura principia in initio statuantur; illud unum commemoro totam methodum eandem esse atque quae ab ipso abominatur: empiricam, quippe quae, quoniam in primo dato omnia continentur[4]) nihil novi affert, sed quae dudum in prima notione insunt evolvit. Quod quidem maxime eis, quae apud Rothe sequuntur, apparet. Abhorrere enim vult a philosophia ethica theo-

---

3) Rothe, theol. Ethik, 2 A. I. 1867, § 3, p. 15. Die Durchführung der specul. Idee eilt der Erfahrung voraus, oft in Gebiete, die der menschlichen Erfahrung nothwendig verschlossen bleiben müssen. cf. Weiße, Idee der Gottheit, p. 11.

4) Rothe, l. l. § 6 p. 34.

logiam eo quod non ex certissimo argumento: Ego sum procedat, sed ex eo quod certissimo certius videtur, scilicet ex dei existentia.[5]) Quid? quod sanissima quaeque sui-conscientia nisi dei-scientia sibi conscia non fit.[6]) Quasi vero quod experientia percipimus inde certius fiat, quod id comprehendimus! Omitto, si sola dei conscientia nobis conscii fieremus, philosophicam ethicen plane a Rothio rejiciendam esse. Illud unum dubito, an conscientia nostri eum aliquid esse tum deum existere per se persuasum habeat.[7]) Nonne praeclarus ille theologus duas res confudit: aliud est pietatem certo existere aliud est, deum existere. Saepe enim pius homo se religiose affici experitur, quos tamen motus a deo vere existente proficisci haud constat.[8]) Atqui experimur certissime in nobis motus, appetitus, conceptus, quorum sunt, qui velint, se non cogitari solum, sed etiam esse, etiamsi a nullo cogitarentur. Velut ipse ego, ad quem omnia quae cogito adhibeo, existens esse volo, quapropter iam Augustinus[9]) ante Cartesium: cogito, inquit, ergo sum. Sed quamquam non dubitandum est, quin ego, me esse

---

5) Weiße, philos. Dogm. I., § 332: Sobald man Gott nicht denkt, so kann man überhaupt nichts denken; denn sobald man etwas denkt, so müßte dies entweder seinen Grund in sich selber haben — und dann eben dächten wir Gott; oder, es wäre nicht durch sich selbst bestimmt, so müßten wir sogleich mitdenken, was es bestimmt. — cf. J. H. Fichte, Persönlichk. u. Unsterblichk. p. 53.

6) Rothe, I., p. 37 med. Leibn., N. Ess. IV, 10. Erdm., p. 373. nous avons une connaissance plus certaine de dieu que de quelque autre chose que ce soit hors de nous.

7) Rothe, l. l. § 6. Es giebt gegenüber den Spöttern doch solche, denen die Frömmigkeit eine unbedingt gewisse Thatsache ist, nämlich aus ihrer unmittelbaren Erfahrung: sie leben thatsächlich in inniger Gemeinschaft mit Gott. p. 37.

8) cf. Kant, Antrop. X, 129 Hart.

9) Augustini Solil. II, 1. cogitare te scis? Scio! de lib. a. 7. utique si non esses, falli omnino non posses. de trin. X, 14. Ritter, Gesch. der Philos. VI. 205—7.

cogitem: quamquam, me realiter esse nunquam negabo,[10] tamen concedendum, omnia quae ego cogitem, relative solum cogitari, nec inde sequi, ut realiter etiam sit.[11])

Num autem cogitatio dei, quam habemus, pariter certa videtur, quam nostri conscientia?[12]) Imo, vel pius homo, qui puerilis suae educationis recordatus, concedet, fidem in deum primo se ex aliorum auctoritate accepisse eamque non sine dubitationibus conservasse. Est igitur fides in deum non immediata sed multis rebus gradatim fundata persuasis. Atque alii alium deum colunt. Quae non neganda variatio non certam et claram dei notionem nobis innasci comprobat. Neque igitur fieri potest, ut a dei existentia ut a re aeque certa ac nostri conscientia progrediamur. Accedit quod qui a dei idea principii loco procedit, statim ad mundi contemplationem rejicitur, quoniam notione sua de deo accuratius considerata reperiet, illum a se non cogitari, nisi in mundo operantem. Pius animus deum vult esse creatorem, salvatorem judicemque, quae notiones ad mundum omnes pertinent.

Progrediemur igitur nos in hunc modum: investigabimus ut homines generati sint per se et in mundo siti; considerabimus quibus causis ad ideam dei concipiendam moveamur; qualis haec idea sit; quid inde sequatur de omnipraesentia et personalitate dei.

---

10) cf. Descartes meditt. de prim. phil. II. et fallat, quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut nihil sim, quamdiu me aliquid esse cogitabo. cf. de quaestione utrum hic syllogismo utatur auctor necne? Sigwart, der Spinozism. Tüb. 1839, p. 8. 10. 220.

11) Ritter, Gesch. der Phil. XI, 30. Cartes, de princ. phil. I, p. 10.

12) Weiße, philos. Dogm. I, § 331. Daß Gott nicht sei, widerstreitet nicht dem gemeinen empirischen Verstand und seine Existenz ist keine Denknothwendigkeit.

Dixerit quispiam: quid? philosophus, qui nec mundum plane perscrutari nec deum esse comprobare potest, nonne fidem in deum aut missam facere aut ex medio tollere cogitur priusquam utramque rem intellexit? Imo vero disquisitio sceptica non efficiet ut aut mundum aut deum existere negemus. Diruitur solum opinio eorum,[13]) qui se utramque rem certo scire gloriantur. Ut igitur prudens vir, etsi mundum a se nondum comprehensum concedat, haud impedietur, quominus agat, — ita pius quoque, qui se scit nihil scire de deo, fidem suam minime abjiciet. Quin pietati, quam pectus usque postulat, indies indulgere pergit, etiam si omnia in dubitationem vocanda essent.

Nec tamen deum aliquâ a me cognitum iri plane desperabo. Magnam enim res ipsas cognoscendi facultatem nobis innatam esse ne Kantius quidem negat.[14]) Jam ad omnes quaestiones a ratione ipsa motas responderi posse condendit, quippe quae non rerum universo sed ipsius rationis natura de se ipsa moveantur. Itaque tantum abest, ut dubitet, an aliqua mundi causa sit ab ipso mundo differens, ut illam ex analogia experientiae cogitet.[15]) Sed constat, inquit, cogitantes illam auctoris ideam nos non ipsam ejus essentiam cogitare, sed ideam solum supponere.

At hac restrictione omnis nostra dei cognitio fit subjectiva. Nec vero quisquam eam pluris aestimabit, voce.

---

13) Rothe, theol. Ethik I, p. 15 § 3. Und ebenso kann sie (die Speculation) ihrem Begriff zufolge unabhängig von der empirischen Beobachtung wirklich neue Gedanken und Begriffe produciren, und zwar solche, denen, weil sie methodisch und mit innerer Denknothwendigkeit bezeugt sind, objective Gültigkeit zukommt.

14) Kant, Krit. d. r. V. ed. Hartenst. 1853 p. 483. Die Ideen der r. Vernunft können nimmermehr in sich selbst dialectisch sein, — denn sie sind uns durch die Natur unsrer Vernunft aufgegeben und dieser oberste Gerichtshof aller Rechte und Ansprüche unsrer Speculation kann unmöglich ursprünglich Täuschungen enthalten. cf. Cartes. princ. I, 7.

15) Kritik der r. Vern. p. 500. De hac tota quaestione quo modo Kantius judicaverit inferiore loco vide p. 41 ff.

„subjectiva“, quid sibi velit, clarius explanatâ. Discernendam enim puto eam subjectivam cognitionem, quae, quum ab hoc vel ab illo singulo homine paretur, nihil in se habere potest veri argumenti — et eam, quae ex omnium fere hominum ratione proficiscitur. Quae quamquam demonstrari nequit cum essentia rerum coïncidens, tamen praebet omnibus aeque cogitantibus quantum veritatis praeberi potest. Non igitur impediam Kantium, quominus res existere realiter neget — dummodo concesserit nos omnes hanc conclusionem facere, iám satis mihi concessum dico. De externis rebus an sint, neminem dubitare vetabo; rationis autem ideis veritatem quam maximam tribui volo.

Quamquam ergo deum nunquam plane cognoscemus — nam essentiam dei nunquam attingimus — tamen innata nobis est cupiditas, omnium quas videmus rerum causam quaerendi. Quae cupiditas, licet falsa sit ita ut nulla res objectiva religionis reperiatur, arctius nobis adjuncta est, quam ut eam ob argumenta ubicunque ad versantia abjiciamus. Persuasum enim habeo fidem in deum, licet non existentem, maxime aestimandam esse ad vitam optime et dignissime degendam. An putamus, liberos, feminas, vulgumque posse educari gelidis ethicae philosophiae incitamentis? Tolle coelum a deo angelisque habitatum ac mundum miraculis gubernatum, et omnem vim precibus praeceptisve tuis subripueris. Dicis: religio ergo infantibus idonea! Quasi vero non plurimi homines per totam vitam infantes essent. Loquor de infantibus, quid edocti? Nonne etiam hi concedent, quicquid magni in hac vita cognoscant, demum ideâ dei supposita, vere dignum admiratione fieri. Nobis quidem summae videtur felicitatis esse, ut in contemplatione ejus, quod nobis verum est, numinis acquiescamus.

Qua in veritate explananda non omnes speculativas cogitationes abhorremus; imo ne empiricas quidem scientias

quidquam experiri posse contendimus sublata hypothesi.[16]) Illud autem spectamus, ut sua quisque via deum cognoscendi progrediatur, conjuncta semper experientia empirica cum cogitationibus a priori et a posteriori.[17]) Jam cum statuerimus, unde et qua via ad deum cognoscendum progrediamur, breviter, si placet, quibus argumentis et quam gravibus dei existentia comprobari soleat videamus. Qua in demonstratione multae opiniones, quae veritatem impediant, rejiciendae erunt. Sed hic objicitur, eos, qui deum comprobant, circulo moveri, quoniam, quod absolutum ac primum volunt esse,[18]) adjunctum ad necessitudinem firmant veritatum, quippe quae majores, priores, certiores debeant esse deo quem comprobant. At quamquam illa reprobatio non semper injuria facta est, tamen haec argumenta, ut omnes disquisitiones ex sequentibus ad causas regressae, illud unum efficere volunt ut cognitio principii ex sequenti jam cognito eruatur. Sequentia

---

16) Kant, Gbrch. teleol. Prinz. 10, 1869 Hart. Trendelenburg, log. Unters. II, p. 387. Sederholm. ewige Thatsachen, Lpz. 1845, p. 137.

17) Leibnitz, préceptes pour avancer les sciences. ed. Erdmann op. phil. Berol. 1840, p. 171. Je tiens, qu'il faut se défier de la raison toute seule et qu'il est important d'avoir de l'expérience. — cf. J. Müller, Lehre von der Sünde. 3. A. I. p. 24. Hiernach können wir die speculat. Erkenntniß zunächst im religiösen und ethischen Gebiet nicht als bloßen Apriorismus betrachten; ihr Fortschreiten ist vielmehr eine stete Wechselbestimmung von apriorischer und empirischer Erkenntniß. Dorner, specul. Theol. Herzog R. E. XVI. p. 8.

18) Clemens Alex., strom V, 12 p. 695. *ἀλλ' οὐδὲ ἐπιστήμη λαμβάνεται τῇ ἀποδεικτικῇ αὕτη γὰρ ἐκ προτέρων καὶ γνωριμωτέρων συνίσταται. τοῦ δ' ἀγεννήτου οὐδὲν προϋπάρχει.* Orig. c. Cels. VII, 42. — F. H. Jacobi, Vorr. des Sendschr. an Fichte. Schrr. III. p, VII. Gott kann nicht gewußt (d. h. aus Folgerung erschlossen), er kann nur geglaubt werden. Ein Gott, der gewußt werden könnte, wäre kein Gott. Ders. Von den göttlichen Dingen, p. 136. Allemal und nothwendig ist ja der Beweisgrund über dem, was durch ihn bewiesen werden soll, er begreift es unter sich; aus ihm fließen Wahrheit und Gewißheit auf das Beweisende erst herab; er trägt seine Realität von ihm zu Lehen.

igitur non per se, sed quoad nos majora sunt.[19] Neque ea res, qua demonstratur dignior videtur re demonstranda.

Atque quoniam aliqua res comprobatur aut ex intuitione aut ex concessu tertio, fieri nequit, quin omnino quinque argumentis deus demonstrari soleat.[20] Intuitione mundum esse experimur; quem si vel per se vel rationi alicui obedientem contemplamur, cosmologicum et teleologicum argumentum invenimus; iam si quis hominem per se aut id ceteras res dominantem considerat, ad logicum et morale argumentum perducitur; idea denique numinis per se ipsa adhibita ontologicum argumentum efficit.[21]

Hoc quidem clarum est, eum qui argumentis comprobat, deum esse, dubitationibus de hac re moveri. Sensibus vero, quibus externas singulasque res an et quales sint percipimus, deus doceri nequit. Neque intellectus, qui eis semper rebus, quae sensibus percipiuntur, arguit, id quod volumus efficiet. Rationis igitur solius natura deum esse demonstrabis.

---

19) cf. Albert. Magn. summa th. I, tr. I, qus. membr. 3 p. 45a. Licet ratio non possit in primam veritatem . . . facit tamen persuasionem ex posterioribus, quae priora sunt quoad nos. Thomas Aquin. su. th. I. qu. 2 a 1. indiget demonstrari per ea quae sunt magis nota quoad nos et minus nota quoad naturam, scil. per effectus.

20) Daub, Theologumena 1806. Vorlesungen ü. d. Prolegg. z. Dk. 1839. Fortlage. Darstellung u. Krit. der Bew. f. Das. G. 1840. H. Lotze, Mikrokosmus Bd. 3., p. 390 f. C. H. Weiße, Idee der Gotth., Dresd. 1833. [Rohmer] Krit. des Gottesbgr. der gegenw. Weltansch. Nördl. 1856. Hegel, Vorless. ü. d. Bew. f. d. Das. G. Hdlbg. 1840. — Leibnitz, ep. ad H. Conring de Cart. dem. exist. dei 1678. Op. phil. Erdm. p. 78. — de la dém. Cartés. de l'existence de Dieu du P. Larni p. 177.

21) cf. Thom. Aqu. su. th. I. qu. 2 a 1. Quamquam illud: deus est quantum in se est, cognitum est, quia praedicatum idem est atque subjectum, non cognitum est ad nos. Et V vias argumentarias habemus 1) ex primo moventi, quod per nihil aliud movetur, 2) ex prima causa efficienti, 3) ex necessario per se 4) ex rerum gradibus ad imperfecto ad perf., 5) ex rebus ad fines efficiendis aptissimis.

Quoniam enim nos cogitantes et percipientes, nihil unquam extrinsecus acquiramus — scilicet etiam sensuum conceptiones nihil sunt nisi mentis nostrae affectus[22]) — illud unum restat, ut quod rationis nostrae natura postulat, cogitando sequamur. Quodsi quis dilucide monstraverit, dei ideam tam arcte cum ratione nostra junctam esse, ut fieri non possit, quin cum illa haec quoque tollatur, is satis demonstrasse videatur.

Ac primum quidem argumentorum quae mundi existentia nituntur, contendit: deum esse, cum mundus sit. Quae quidem certitudo de mundi existentia aut immediata est aut mediata. Immediate enim suum quisque connexum cum rerum natura variis corporis sui vitaeque statibus experitur. Unde autem mediatam cognitionem, hanc rerum multitudinem mundum esse i. e. organismum, censequimur? Num sensibus aut experientia? At his singulas semper et res et leges cognoscimus. Quid igitur? nonne con cludimus temere, totum universum legibus regi, quum multas res iisdem usque legibus regi videamus. Unde scimus illas universi leges nusquam secum pugnare. Cur non compluria universa harmonicis legibus gubernata existere possunt? Sed compluria universa aut in unum coïncidunt, aut nullum eorum jam universum est. Atque in hoc uno, quod restat, universo, ajunt, omnia ex causis semper proficisci et ratio et experientia contendit, ita ut primariam causam — deum colligamus. Cum autem res aut per se aut cum aliis conjunctas fines consilia que sequi videamus, unam omnia gubernantem suspicamus rationem, quae suum cuique finem praedestinavit. Et ita aetiologicum et teleologicum argumentum efficiunt.

In aetiologico in hunc modum agitur: Res materiales quibus nostri sensus nos esse experiuntur, multa attributa

---

22) Dr. med. Jessen, Begründung einer wissensch. Psychol. Berl. 1855. p. 17 f.

habent eaque mutabilita.[23]) Unde nec materiam nec ejus attributa semper hac eadem ratione exstitisse cogimus. Quodsi orta sunt, sequitur, ut, quum tempus fuerit, quo illa non fuerint, causa aliqua sit, quae illa in existentiam vocaverit.[24])

Nec minus totam cum omnibus attributis materiem contingentem esse colligitur,[24]) i. e., quoniam contingentes res necessariis, quarum contrarium esse nequit, opponendae sunt, mundus est ens quod etiam non esse potest. Atqui contingens sine opposito necessario cogitari nequit. Deus igitur necessario cogitandus est.[26]) Nec vero cogitatur solum sed etiam existit. Mundus enim cum sit, quippe contingens, vel maxime deus necessario existit.

Consideranti mihi, quid huic argumento opponendum sit, illa a Kantio nostro ex critica philosophia petita missa facienda videntur. Nam cum ille in tertia purae rationis criticae parte dialectica monstret, antinomiam proficisci ex dua-

---

23) Jo. Damasc. de fid. orth. I, 3. *πάντα τὰ ὄντα ἢ κτιστά ἐστι, ἢ ἄκτιστα· εἰ μὲν οὖν κτιστὰ καὶ τρεπτά· ᾧ γαρ τὸ εἶναι ἀπὸ τροπῆς ἤρξατο, ταῦτα τῇ τροπῇ ὑποκείσεται πάντως ἢ φθειρόμενα ἢ κατὰ προαίρεσιν ἀλλοιούμενα.* — Augustin, Conff. XI, 10. mutabili creaturarum naturâ deus nobis in memoriam vocatur.

24) Thom. Aquin. su. th. I. qu. 2. a 3. Impossibile est autem, omnia quae sunt, talia semper esse, quia quod possibile est non esse, quandoque non est. — Ex motu rerum judicat Leibnitius deum esse comprobandum: Confessio nat. c. atheistas Erdm, p. 46a apparet in extrema corporum resolutione dei auxilio carere naturam non posse.

25) iam Anselm. Cant. Monol. c. 1—4. cogimur igitur per omnia bona, ait. ad unum summe bonum regredi, quod quoniam cogitetur, necesse est, necessario ex istit. — cf. Leibnitii, théod. I, 7. Erdm. p. 500 a. Il faut donc chercher la raison d'existence du Monde, qui est l'assemblage entiers des choses contingentes . . . dans la substance, qui porte la raison de son existence avec elle, et laquelle par conséquence est necessaire.

26) Alexand. Hales. su. tq. I, 2, 3. Utut certius a nobis cognoscatur, quid sit creatura, quam quid sit deus, tamen multo certius cognoscitur, quod sit deus, quam quod sit creatura.

bus quae offeruntur sententiis: prima: mundum tempore et spatio finitum esse — atque altera: non illum coepisse nec spatio finiri; quumque nobis ad perscrutandam rationem redire imperet; quam conspicati intelligemus, tempus et spatium subjectivas solum opiniones esse, quare mundum non qualis per se est, sed quoad nos cognoscimus — criticus noster philosophus argumentum principiis haud ab unoquoque probandis diruit.

Nos quidem ante omnia notiones illas „contingentis“ et „necessarii“, quid sibi velint consideremus. Nam hoc praetermittimus, eos, qui illo argumento utuntur, nec quidnam deus sit declarasse, nec circulum effugisse ratiocinandi. Quid enim? cum ens necessarium ex contingenti efficiatur, ita, ut si hujus cogitatio non esset nec illud cogitaretur, nonne contingens aeque necessarium est, ac necessarium?

Age vero, quid est illud contingens appellatum? Contingens appellamus id, quod praeter effectus, quos voluimus, non consulto evenit. Num haec definitio ad naturae cursum adhibenda est? Quasi quidquam non certis semper causis in natura fiat. At contingens, ajunt, etiam non esse potest. Quid? num quidquam in natura vere non esse potest?[28]) Nos quidem, qui quantum et quot causae coëfficiant, nunquam scimus, hoc vel illud etiam non esse posse opinamur; in naturae vero connexu omnia suis utique causis necessario et hoc uno modo fiunt. Quid? quod necessarium „cui quod contrarium est esse nequit“ nihil est nisi quod ab aliis rebus pendet. Atqui quum tam vehementer postulent, ut deus necessariis rebus adnumeretur, duas vocis „necessariae“ senten-

---

27) Krit. d. r. V. ed. Kirchm. p. 407. 404. 417. quamquam hoc argumento uti non perrumper vetat: ibid. p. 473.

28) Burmeister, Gesch. d. Schöpfung, Lpzg. 1851, p. 134. Was wir Zufall in der Natur nennen, ist sicher nothwendiges Resultat unbekannter Ursachen, und ebenso gesetzmäßig, wie jede natürliche Erscheinung überhaupt.

tias confundunt: vocant illud necessarium, quod absoluta sua dignitate etiam absolutam essentiam eis mereri videtur.

Dixerit quispiam: at omnes res mundanae imperfectae sunt; postulo ergo aliquod omnibus numeris absolutum.[29]) Sed quid vox perfecti valeat, scimus. Perfectum appello id, quod ab imagine, cui necessario simile esse videtur, non abhorret. „Carentia ergo debitae", ut ait Anselmus, „perfectionis, opprobrio vertendum est". Quid vero? nonne stulti est, rebus naturalibus, quas nescio an tam debiles tamque pravas esse oporteat, imperfectas vocare, si imagini nostrae licet arbitrarie fictae repugnant?[30])

Age vero hoc aetiologicum argumentum, vel emendato, quo laborat, errore, quod vult colligere non potest. Errat enim, quod mundum ut opus solum contemplatur, cui non insint vivae vivificantesque vires. Est autem mundus, quod nullus sagax naturae indagator neget, organismus se ipse semper redintegrans; est natura, quatenus eam cognovimus, perpetua causa sui. Quid igitur me impediat, quominus hunc mundum se ipsum redintegrantem semper extitisse putem? At commovetur mundus; quicquid autem movetur, causam habet et initium motus sui. „Remotâ causa, removetur effectus, ergo si non fuerit in causis efficientibus,

29) Diog. Tars. καθ' εἱμαρμ. b. Photin. bibl. cod. 223. p. 209b. ἡ ποικίλη τῶν ποιητήτων διαφορὰ μόνον οὐχὶ φωνὴν ἀφίησι μήτε ἀγέννητον μήτε αὐτόματον νομίζειν τὸν κόσμον, μήτ' αὖ ἀπρονόητον. θεὸν δὲ αὐτοῖς καὶ τὸ εἶναι . . . σαφῶς εἰδέναι.

30) quod Spinoza bene explicat Eth. IV. praef. 162. p. 377 vol. I, 2. Cum itaque aliquod in natura fieri vident, quod cum concepto exemplari, quod rei ejusmodi habent, minus convenit, ipsam naturam tum defecisse vel peccavisse, remque illam imperfectam reliquisse credunt. — Burmeister, l. l. 135. Für jene teleol. Ansicht der Welt bleibt ihre Ordnung ein Geheimniß, das Niemand errathen kann, der sich durch Annahme kleiner menschlicher Motive alle höhere Einsicht im Voraus verschließt. Dgg. Leibnitii à Bayle sur un princ. génér. Erdm. p. 106. — Nec nos secludimus causas finales, sed quo sensu vid. inf. p.

non erit initium".[31]) — Credo; nihil est in effectu, quod non fuerit in causa. Sed cur non per hoc omnes res ab aeterno alia alius et effectus et causa esse potest?

Ac totum de quo disputamus argumentum mundo existente nititur, itaque contrarium ei, quod vult, efficit, nempe ut mundus per se existat minimeque extramundana causa opus sit. Quasi vero non eodem jure quo ille me de mundi causa interrogat, ego illum dei causam nominare jubere possim. Respondebit: necessarium ens est causa sui. Atqui mundus, voce necessarii supra deducta, haud minus causa sui appellatur. Jam, qui hoc argumento utitur, materiam contendit esse contingentem i. e. non aeternam.[32]) Sed quibus causis nixus? Concedo formam materiae perpetuo mutari — quid vero? materia nonne semper eadem remanet in omnibus singulis rebus quam multos philosophos secutus voco substantiam. Atque hoc loco sententias, quae per philosophiae historiam permulto exstiterunt, substantiales et atomisticas consideraremus, si non longum esset. Illud vero semper philosophia nec non theologia sibi proposuit, in hac re omnis aetas quid agat inveniet, qua ratione ἓν καὶ πᾶν conciliietur. Quem in finem, licet homines aut deductive ab universali ad singulas res aut inductive ab his ad illud processerint, duas potissimum sententias ediderunt: pantheisticam et atomisticam, quae nisi et materia et forma conjungantur, quin erroribus implicentur, fieri non potest.[33])

Jam argumentum quod teleologicum vocatur, perscrutemur. Sagacissimus quisque, ait teleologus, colligit a minore ad majus, a particulari ad universalē, totum mundum secun-

---

31) Thom. Aquin. su. th. I, qu, 2 a 3. cf. Hanne, Idee der absol. Persönlichk. 2. A., 1865 I, 487. Duns Scotus sentt. I dist. 2 qu. 2. Leibnitz, confessio nat. c. ath. Erdm. p. 47.

32) Hugo a Sto. Vict. de sacr. fid. chr. I p. II c. 7—9, de trib. dieb. 17 bei Liebner H. v. St. V. p. 369.

33) Ulrici, Pantheism. Herzog R. E. XI, 67 f.

dum leges suas ad certos fines conformatum esse. Utitur igitur argumentum hoc inductivo syllogismo: video mundum legibus ad finem constitutum; nec leges autem sine ratione, qua ponantur, nec fines sine voluntate qua petantur, cogitari possunt. Ratio igitur utramque gignat et producat necesse est.[34])

Quod quidem argumentum ex finibus in natura repetitum primus Spinoza strenue rejecit, cum in deo, quamquam hic se ipsum amore intellectuali amet,[35]) intellectum et voluntatem plane negaret[36]) ideoque omnia ex necessaria dei natura evenire contenderet.[37]) Quid? quod omnes causas finales nihil esse ait, nisi humana figmenta, quibus natura omnino evertatur. Nam isti id, quod revera causa est ut effectum considerant et contra. Deinde id, quod natura prius est, faciunt isti posterius. Denique id, quod supremum et perfectissimum, reddunt imperfectissimum.[38]) Nam deus, qui propter fines agit, appetit quo caret. Nos igitur causarum ignari, comparatis singulis rebus imaginem aliquam fingimus, cui quod non consentit imperfectum appellamus: naturaeque quia ab his, quas falso posuimus, legibus abhorret, culpae

---

34) Diogen. Apollon. b. Simplic. phys. fol. 32, 6. *οὐ γὰρ ἂν, φησίν, οὕτω δεδάσθαι οἷόντε ἦν ἄνευ νοήσεως, ὥστε πάντων μέτρα ἔχειν.* Athanas. c. gent opp. t. I. p. 3. 37. Basil. M. hom. in illud: Attende tibi ipsi opp. T. II. p. 13. Greg. Naz. or. 34 p. 539. Greg. Nyss. orat. cat. praef. August. Conff. X, 6 Abälard s. th. chr. V. b. Martene p. 1349. Quam honestum vero sit ac salubre, omnia ad unum optimum rectorem . . . spectare et cuncta potius ratione quam casu fieri, nullus est, cui propriae ratio non suggerat conscientiae. Hugo a Sto. Vict. de trib. dieb c. 18. Thom. Aqu. su. th. I qu. 2. a. 3. bei Tennemann VIII, 1 p. 585.

35) Eth. V p. 35.

36) Eth. I pr. 31. pr. 17. schol. ep. 27. 58 p. 570. tract. th. pol. 4 p. 48 6 p. 68.

37) Eth. I p. 29. 33 schol 1. In rerum natura 33, Leibn. syst. nouv. de la nat. 1695, § 16 Op. ph. 128a. nullum datur contingens; sed omnia ex divinae-naturae necessisate determinata sunt.

38) Eth. I appendix p. 34 sq.

vertimus.[39] Reprobat ergo Spinoza cum Arnoldo Geulincx[40]) et fines et perfectam partium harmoniam. Post Spinozam hoc argumentum Kantio minime placuit. Hic in critico purae rationis libello utitur philosophicâ sententiâ: τὸ τέλος ἐστὶ τὸ αἴτιον τοῦ πράγματος, quoniam suo quisque fine ut hoc vel illud agat movetur.[41]) Praeterea hoc argumentum aetiologico nititur, quod ut supra demonstravimus, Kantio nisi in „phaenomenis" nihil valere videtur. Postea autem in libello, qui inscribitur de nostra judicandi potestate criticus[42]) quamquam Kantius et in nostris operibus et in natura ordinem esse, naturamque vel contra nostras intentiones suas semper leges sequi contendit, tamen disjungit externam et subjectivam finibus convenientiam ab interiore et objectiva. Illam quam in multis rebus ad nostros fines idoneis reperimus, temere ad totam naturam transferimus, itaque nos fugit, aliud esse, certis causis condicionari, aliud, ad certos denique fines institui. Velut quae nobis utilissima sunt elementa solis radio excitantur — nos quidem solem „ad hoc" ab auctore quodam rationali cum terra conjunctum opinamus. Objectiva autem convenientia in eo ponitur, ut innumerabiles fere organismos in natura esse videamus, quorum quaeque pars totius medium ac finis est; nihil enim in organismo superfluens est sed cuncta sibi et toti serviunt.[43])

39) Eth. I app. p. 34. IV, praef. tract. theol. pol. 16 p. 177. de intell. emend. p. 360. cf. Descartes meditt. de pr. ph. IV ed. Kirchm. p. 71. Ich bemerke ferner, daß nicht ein Geschöpf für sich, sondern das Ganze aller Dinge berücksichtigt werden muß, wenn man untersucht, ob die Werke Gottes vollkommen sind. Denn das, was vielleicht nicht mit Unrecht unvollkommen erscheint, wenn es für sich betrachtet wird, ist in der Auffassung als Theil der Welt durchaus vollkommen.

40) Annott. maj. p. 25 sq. log. 472. quodlib. 8.

41) Kant, Kr. d. r. V. Logik.

42) Kr. d. Urtheilskraft II. ed. Hartenst. Bd. 5. p. 371. 378.

43) Kant l. l, p. 388. Das Princip der Beurtheilung der innern Zweckmäßigkeit in organisirten Wesen ist dies: ein organisirtes Product der Natur ist das, in welchem Alles Zweck und wechselseitig auch Mittel ist. cf. Jessen, wiss. Psychol. p. 55—62.

Quod judicium, si ad totum universum revocatur, non constitutivum sed regulativum esse potest (l. l. 391). Quin etiam hac ipsa ratiocinatione numen extramundanum secluditur. Quid enim? si mundo lex et ordo necessarii sunt, nihil expediet, unde exstiterint, requirere. Imo id quod est, si unquam non fuit, non est necessarium. Nec vero ullum in natura casum esse sagax quisque naturae indagator concedet.

Volunt autem isti hoc argumento notionem entis efficere, cui intellectus est et voluntas. Entis autem notionem nunquam sensibus experientiaque sed abstracta ratione invenies itaque qui hoc argumento utuntur, relicta experientia in ontologicam philosophiae partem transeunt. Atque illud Ens, licet intellegens et liberum sit, a teleologo probum ac sanctum cogitatur. At ex natura, in qua tot contraria, tot mala videmus, nunquam bonum probumque numen colligimus. — Quid igitur? nonne intellectus noster ad comprobandum argumentum auxilio vocatur?[44])

Age vero teleologo multa, de quibus nos valde dubitamus, demonstranda sunt. Primo loco, connexum mundi finibus aptum ex viribus inconsulto agentibus evadere plane non posse.[45]) Sed altera illorum contemplatio minime contemnenda videtur, qui quem vocamus finem ex necessario virium causarumque connexu effici putant: qui contendunt, naturam cursu quodam non consulto omnes illas res configurasse, quas supposita ratione easdem inire oportebat.

Deinde ne illud quidem teleologus comprobabit, totam naturam finalibus causis regi. Quot res nulli fini servire, quot res finibus aliunde notis offendere videntur! Quapropter non unus deus sed multi potius dii colliguntur, quorum ex pacto quodam suam quisque regionem naturae dominatur.

---

44) Kant l. l. p. 453—55.

45) Hume inquiry concerning human understanding sect. XI. p. 150—160.

Tum huic teleologice comprobanti per totum universum efficiendum erat, nihil esse quod rationi divinae semel semperve resistere posset. Sed quot effectus contingentes videtur illa quasi invita et quibusdam viribus resistentibus coacta producere. Denique finis sine materia, quam tractat, cogitari nequit. Efficitur ergo hac ratiocinatione non creator, quem volunt, sed artifex solum materiae, quem abhorrent.

Vides igitur neutrum argumentum id quod isti volunt colligere. Quod quidem ii libenter concedunt, qui ex logica nostra natura logicum vel psychologicum repetunt. Quicquid existit, ajunt hic rationalistae, existendi causam habet. Existit autem homo ut animal rationale. Experientia experimur, existentiam nos non nobis debere; atqui nihil est in effectu, quod non fuerit in causa: sequitur ut hominis causa rationalis et libera sit.[46]) Quid tibi de hujus argumenti vi videtur? Omitto, illud, quamquam ex ratione deum comprobare voluerat, tamen ad experientiam descendisse. Taceo quod, ceteris concessis, hac via non unum ens rationale sed plura idque tot comprobari, quot homines videmus rationales. Missum facio quod argumentum in aetiologicum jam refutatum recidere. Illud unum commemoro, sententiam, quae perfectam rem ex imperfecta proficisci negat, non plane et nude accipiendam esse. Nunquam scilicet imperfecta essentia absolutam producet, sed cur inferior gradus imperfectae rei superiorem proferre non queat, ignoro. Quod vero majus est: nemo neget, nos facultatem sentiendi, volendi et cogitandi ut nostram sentire, quam triplici cuidam vi individui adscribimus — illud autem: existere in nobis substantiam quandam

---

46) Hugo a Sto. Vict. de trib. dieb. c. 17. b. Liebner, Hugo v. St. Victor, Dresden 1842. p. 369. 370. — Leibnitz, théodic. part. II, 189. Erdm. p. 562. De plus, ces vérités mêmes ne sont pas sans qu'il y ait un entendement, qui en prenne connoissance etc.

a triplici illa vi separatam, nunquam, quantum ego intelligo, comprobari potest.

Praeterimus argumentum historico-teleologicum, quod, quamquam populorum historia nititur, eisdem, quibus simplex teleologicum, causis refutatur.

Properamus igitur ad ea argumenta, quae ab homine, quatenus non per se sed in mundo agens inspicitur, arcessi solent. Ac primum quidem finita ejus natura, ut est individui, triplici modo adhibetur. Quorum primus, qui desiderium aeternae felicitatis nobis innatum inculcat, ita concludit: Volumus nos felices esse omnes idque perenniter: cui aeternae vitae spei, ne decipiatur, deus opus est.[47]) — Nos quidem hanc eudaemonisticam ratiocinationem, quae nostrae soli felicitati studet repudiamus. Adde quod illa infinita felicitas a nostra finita natura non caperetur. Nec quisquam immortalitatis spem aliud esse demonstrabit, ac desiderium naturae nostrae, vita, quam habemus, diutius fruendi. Omnino autem caeci putamus esse, contendere, non omnes homines ad eam, quae iis apta est, felicitatem pervenire, aut bonis felicitatem non dari. Imo quo quisque magis virtutem amat, eo majore felicitate floret interna.

Quid vero dicam de argumento dicto „ab utili",[48]) quod quamquam activitatis nostrae rationem habet, pravissimam deo partem adscribit. Homines, ait, plerique non propter boni amorem legaliter agunt, sed propter mali timorem. Utilissima igitur est idea divini judicis ad civitates singulosque homines instituendos. Quid vero? si usus ex deo pariendus homines destinat, ut illum credant, nonne probi qui bonum

---

47) Kant, Kr. der pr. V. W. W. Rosenkr. VIII, 250.

48) Arnobius c. gent. I, 33. existentiam dei, quam ut axioma obtinet, haud minus periculosum putat demonstrare argumentis, quam plane negare.

per se amant, religionem plane reprobabunt? Itaque, probis a religionis terrore liberatis, brutam multitudinem in hac servitute retinent. O pravam et secum pugnantem doctrinam!

Quacum argumentatione tertium argumentum sorde et indignitate concertat. Cum enim nec comprobari nec negari deus possit, *tutius* est, ut ponamus, eum existere: si non est, nullam facimus jacturam, sin existit autem, negantes gravissimis suppliciis puniet. Sed cur iste improbus non pergit dubitare? cur tandem in opinionem, deum esse, transgreditur? Mentitur, se id propter deum facere. Imo propter suum commodum, ne hac vili existentiâ spolietur, facit. Ac nescio an viliorem aut magis deridendum hunc bonum putem. Quid enim? quamquam deum non esse credit, proponit sibi, ut eum esse potius dicat. Quasi deus, hominum ritu, ita decipi possit, ut talem misellum non majore propter hanc stultam fraudem supplicio afficiat.

Atque alterius seriei, *quae a rationali nostra natura* sumitur, primum argumentum hoc est: Facultas libere agendi in nostra natura, necessitati subjecta, liberum auctorem postulat. Falso autem hic ad rationales res categoria causalitatis adfertur, quae, ut Kantius demonstravit, solum in finita natura adhibenda est. Quid vero? cum jam in organismo quicquam ceterarum partium causam negemus, partibus omnibus invicem se producentibus et conservantibus, nonne nostrae, quam vocant infinitam, libertati divina causa plane opus non est? Quin omnis libere volendi facultas, quae extrinsecus efficitur, plane nulla est. [49])

Nec melius de altero argumento hujus seriei judicamus, quod *ex connexu causarum et finium repetitur.* Quod cum deum colligat, quia necesse sit suam cuique mercedem dari,

---

49) cf. Frauenstaedt, Freiheit des Msch. u. Persönlichk. Gottes. Berl. 1838, p. 9. 12.

atque id nec natura nec nostra operâ fieri — aut consideratis finibus cum teleologico, aut considerata felicitate cum argumento ab utili concidit. Quid vero? nonne homo et moralis erit et beatus, remota omni mercedis spe?[50] Fichte quidem summam operam dedit, ut homines sine mercedis spe virtuti studerent.[51] Ac nobis virtutis notio respectu mercedis tolli videtur.

Neque tandem argumentum praetermittam, quod ex sensu nostro interno quatenus infinitus sit, per Jacobi et Schleiermacher suppeditatur.[52] F. H. Jacobi hominem censet, etiamsi studio cognoscendi et agendi satisfecerit, vehementi quodam supernaturalium desiderio supra omnia evehi, ita ut corpus, cognitionem, vitam procul abjicere cupiat, quo desiderio non solum voluntatis suae et virtutis conscium, sed etiam deo plenum fieri.[53] Haec fides, sensu intimo nixa, certior omnibus argumentis et fiducia in ipsam veritatem est.[54] Quum vero Jacobi, intellectum superbum rejecturus, saepe eo ferretur, ut omnino contenderet, rationem si quid de deo diceret, puram atheisticam doctrinam ferre, Fries iam satis de rerum ac dei cognitione effectum esse voluit, si quid de utraque ab

---

50) Schiller, Philos. Briefe, Bd. 11, 12. „Rücksicht auf eine belohnende Zukunft schließt die Liebe aus.“ D. Strauß, alte u. neue Gl. 3. A. Lpz. 1872, p. 127. „Wer für sich selbst noch die Aussicht auf künftige Vergeltung als eine Triebfeder braucht, der steht noch im Vorhofe der Sittlichkeit, der sehe zu, daß er nicht falle.“

51) J. G. Fichte, Tugendlehre p. 343, 344.

52) J. Wessel de orat V. Ullm. p. 200. In unaquaque rationali mente notitia dei originalis est, ut nemo per unum quidem solis radium non illustretur p. 19, 7.

53) Von göttl. Dingen, p. 34. „Gott lebt in uns u. unser Leben ist verborgen in Gott“, p. 276. Vgl. Tauler, Predigten, Bd. I, p. 58. 2. Adv. „Gott ist mir näher als ich mir selbst.“ .

54) Waldemar in Jacobi's Opp. V p. 79. Vorr. z. Gespr. üb. Ideal. u. Realism. Bd. II, p. 4, 9, 7, 11, 20, 60, 121. „Der Glaube ist ein Vernehmen des Uebersinnlichen, ein zuversichtliches Schauen, eine Wahrnehmung des Wahren.“

omnium ratione dilucide comprehenderetur.[55]) Qua in anthropologica via hos secutus est Schleiermacher, quum in orationibus suis religionem nominaret unionem finiti cum infinito, nec non intuitionem dei immediatam, quae quodcunque agimus, scimus, volumus, ut pulcherrima animae harmonia comitaretur. Quid? quod sentimus, ait, nos non nostri sed divini juris esse, itaque cum finita nostra essentia infinitam dei poni, sublato libertatis et necessitatis discrimine.[56]) Atque haec in nostro animo unio finiti et infiniti, quae deum esse comprobat, facile ex universo et in historia conspicitur. Sed quum orationibus suis postulavisset, ut se quisque universo dederet,[57]) deus ergo ei cum universo coincidisset, postea in libro, qui totam fidei doctrinam tractat, illud „unde" totus indigentiae sensus proficiscatur ab universo scil. finito et contrario, disjungitur, idque deum esse arbitratur.[58]) Quid hi duo testes experientia religiosi sensus effecerunt? Silentio transeo, quam facile in his, quae supernaturales vocantur rebus fallamur, quoniam quum aliqua re moveamur, non scimus unde moveamur; missum facio, illum deum super omnibus mundi contrariis positum nobis non jam opus esse, qui secundum Schleiermacherum a mundo semper movemur; illud inculco, Nostrum, si sola experientia nititur, nihil certi

---

55) Jacobi, Brr. üb. d. L. des Spinoza, 2. A. p. 225. Vgg. Fries, N. Krit. d. r. V. I. Bch. 2. Abschn. 4 § 70.

56) Schaller, Ueb. Schleierm. Halle 1844 p. 40 ff. W. Herrmann, Gesch. d. prot. Dk.. Lpz. 1842, p. 191. Schleiermacher, Reden p. 176. Mitten in der Endlichkeit eins Werden mit dem Unendlichen und ewig sein in jedem Augenblick, das ist die Unsterblichkeit u. die Religion p. 163. 58.

57) ib. 117. 125. Den Weltgeist zu lieben u. freudig seinem Wirken im Größten und Kleinsten zuzuschauen ist des Religiösen Ziel. p. 69. Aus zwei Elementen besteht das ganz relig. Leben, daß der Mensch sich hingebe dem Universum u. sich erregen lasse von der Seite, die es ihm eben zuwendet, u. dann, daß er diese Berührung nach innen fortpflanze.

58) Glaubensl. 2. A. p. 22. „Das in dem Selbstbewußtsein mitgesetzte Woher unsres empfänglichen u. selbstthätigen Daseins soll mit dem Ausdruck Gott bezeichnet werden. p. 185.

de dei essentia et attributis pronuntiare posse. Oblitus erat et Jacobi et Schleiermacher duplex illud Kantianum: Notiones sine intuitiones inanes, intuitiones sine notionibus caecas esse. Quid? si uterque doctioribus solum et eruditis religionem vindicavere. Quid enim? quum secundum illum totus, verus et rationalis homo, secundum hunc is solum habeat religionem, qui de universo et historia meditatur, nonne rudis ac bruta multitudo ex piorum numero ejicitur? Jacobi enim probo tantum et virtute praedito homini, Schleiermacher ei, qui amore et intuitione universum amplectitur, religionem vindicat.

Tertium denique hujus seriei ex hominis natura promptae argumentum per unitatem finiti et infiniti ad dei existentiam ascendit; Kantius enim, cui potissimum hoc argumentum debemus, quasi totius suae doctrinae finem ideam dei profert. Notum est, hunc praeclarum philosophum doctrina sua, quam in transcendentali aesthetica (K. d. r. V.) explicavit, et optime de philosophia meruisse, et in magnum errorem incidisse, ut opinor. Examinata enim rationis vi discernit ubique rem per se (νοούμενον) et quod inde apparet (φαινόμενον) ac nos unquam illam cognoscere negat.[59]) Eodem modo in nobis ipsis duplicem characterem, intelligibilem scil. et empiricum, quorum hic illum per totam vitam evolvit. Invenit autem homo, cum sibi conscius fit, legem categorice imperantem in practica sua ratione, quae quum nec ex sensuali naturae suae parte, nec plane aliunde sed ex ipsa sua ratione exuberet, nec amorem nec metum, sed liberalem respectum homini injicit.[60]) Praescribit igitur homo sibi ipse legem infragilem

59) Sed ne intelligere quidem me confiteor, quid tota disputatio de re per se sibi velit. Cur postulat Kantius, ut sensus monstrent, qua ratione res vere sint? Cur, non contentus coloribus, licet sola in perceptione tua sitis, etiam aeris undulationes vis perspicere? cf. H. Lotze, Mikrokosmus I, p. 392. 396.

60) Kr. d. r. V. III. Auflös. d. kosm. Jd. p, 440 ed. Kirchm. „Das Gesetz, nach dem eine Ursache wirkt, ihre Wirkungsart, ist ihr Charakter.

nec tamen homo quoad sensibilem sed intelligibilem naturam. Atque huic legi libere nos obsequi putamus. Namque quod debemus, sine dubio etiam possumus, praesertim quum illa lex intimae nostrae naturae correspondeat.[61] Habemus autem praeter hanc, quae sibi ipsa dat leges, autonomiam,[62] etiam heteronomiam voluntatis i. e. empiricae sensualis vitae impedimenta. Cum igitur ratio practica postulet, ut nullo respectu nisi legis ad agendum destinemur,[63] tamen secundum legem quidem sed sensuali fine moti i. e. legaliter solum agimus, non moraliter. Est enim categoricus imperativus per se formalis tantum lex, quae ad singulas res adhibetur hominis cupiditate. Quaerit autem ratio practica absolutum quoddam, non quo voluntas destinetur (unica enim lex est conscientia officii) sed quod omnes petendas res contineat i. e. summum summeque bonum.[64] Virtus enim, quamquam supremum bonum est, tamen sine beatitate non videtur perfecta esse.[65] Unde dialectica rationis antinomia provenit, quae solum synthetica virtutis et felicitatis unione solvitur: virtus nempe ubique felicitatis causa est.[66] Quid vero?

Wirkt eine selbst bedingte Ursache, so hat sie einen empirischen Char., wirkt ein Ding an sich, so hats einen intelligiblen Char., d. i. eine Wirkungsart, die nicht Gegenstand der Erkenntniß. sondern nur i. Verstde. gegeben ist."

Kr. d. prakt. V. p. 92. Ki. — Grundlegung z. Met. d. Sitten p. 19. A. 2. Kirchm.

61) Grdlgg. z. Met. d. Sitten p. 58. Krit. d. pr. V. p. 97.

62) Grundlgg. p. 62.

63) Kr. d. pr. V. ed. Kirchm. p. 86, Drittes Hptstück.

64) Ebd. p. 120. Sie sucht ... zu dem Praktisch=Bedingten ... das Unbedingte, und zwar nicht als Bestimmungsgrund des Willens, sondern wenn auch dieser im moralischen Gesetz gegeben worden, die unbedingte Totalität des Gegenstandes der r. pr. V. unter dem Namen des höchsten Gutes.

65) Ebd. p. 133. Denn der Glückseligkeit bedürftig, ihrer auch würdig, dennoch aber ders. nicht theilhaft zu sein, kann mit dem vollkommenen Wollen eines vernünftigen Wesens, welches zugleich alle Gewalt hätte, nicht zusammen bestehn.

66) Kr. d. pr. V. p. 136.

Num semper hoc fieri videmus? Imo saepe probissimus quisque maxima felicitate caret. Vanusne igitur syntheticus hic connexus, vana, quae illum postulat, lex categorica nobis innata? Quam difficultatem Kantius eodem discrimine intelligibilis et sensibilis characteris solvit ac supra necessitatis cum libertate pugnam. Necesse est, ait, nos speremus connexum virtutis cum felicitate existere, etiamsi, ut simus sensibus addicti, eum nunc non videamus (K. d. pr. V. 143). Quod ut fiat postulatur a nostro philosopho immortalitas humana deique existentia, quibus sanctitas nostra efficiatur i. e. harmonia totius naturae cum lege morali.[67])

Praeterimus quae ceteris hujus opinionibus, quas cum tota sua doctrina connexas exposuimus, objicienda sunt: totum enim discrimen, quo Kantius omnino nititur inter rem per se et quoad apparet, erroribus adnumerandum est,[68]) aeque ac quod inter theoreticam et practicam philosophiam disjungit:[69]) praetereo categoricam illam legem, quae mystica hypothesis mihi videtur, accuratius consideratam nihil argumenti, notionis, normae ususque praebere — quod hic demonstrare longum est — de quibus infra uberius tractabitur attingo obiter, libertatem Kantianam quum in intelligibili nostro charactere ponatur[70]) plane esse nullam. Illud unum

---

67) ib. 147. Also ist das höchste Gut praktisch nur unter Voraussetzung der Unsterblichkeit der Seele möglich, mithin diese, als unzertrennlich mit dem moralischen Gesetz verbunden, ein Postulat d r reinen prakt. V. ib. p. 150. btr. die Annahme eines Wesens von höchster Causalität, Intelligenz u. Willen. Kr. d. r. V. W. W ed. Ros. II. p. 800 Suppl. XXVII.

68) de qua re infra uberius agetur p.

69) E. Dühring, krit. Gesch. d. Phil. p. 260 f. Rixner, Gesch. d. Ph. III. p. 307. Ueberweg, Syst. d. Logik p. 76.

70) Kr. d. r. V. Auflös. der 3. Antin. p. 435—453. (Ki.) Kr. d. pr. V. Beleuchtung d. Analyt. p. 112 f. Grdlgg. d. Met. d. S. p. 74—95. „Der Mensch denkt sich frei, das ist das Resultat. cf. Fries, Krit. d. r. V. p. 141. 145. Schelling, das Wesen der menschl. Freih. Plato, Rep. X, p. 617. Dr. Brandt, Kants Lehre von der Freih. Bonn 1872, diss. in p. 38. Romang, Willensfreih. u. Determ. p. 50.

totam illius doctrinam de deo diruit, quod numen nihil est nisi „ad practicum finem instrumentum"[71]. Postulatur enim deus ad felicitatem parandam — quasi homini, bonum vere amanti, conscientia officii facti non satis sit. Quin ad simulationem nos deducere videtur, quum nos in deum pura ratione nunquam comprobandum credere jubeat impetrandae felicitatis causa. Sed concedo, dei ideam a ratione practica honestius postulari unde huic illa, qua nos cogat, certitudo? Imo tres causae a Kantio adhibitae: lex, libertas et studium faciendae legis, nullam objectivam veritatem praebeat, quod quidem autor ipse definitione fidei sua comprobat. Fides est credere aliquid ex causis non objective sed subjective sufficientibus. At dubitanti de existentia dei objectivae causae opus sunt. Porro deum vult Kantius naturae causam esse rationalem.[72] Atqui pura ratio critica demonstravit, naturam nisi apparentem non esse, ejusque leges solum in ratione nostra. Profecto docuit Noster eum, qui bonum propter beatitudinem faciat, beatitudine indignum esse — hic idem ipse beatitudinem reddit finem totius processus. At hic processus nunquam finitur. Sed, quae nunquam perfecta fit, virtus mercede digna est. Adde quod ex suo quisque intelligibili charactere, quem non sibi debet, quidquid boni et mali necessario facit, — quis igitur jure vel supplicio vel praemio afficitur?[73]

Nunc autem perveniamus ad id argumentum, quod, quum maximi aestimandum sit, saepe nimis contemptum est: ontologicum. Hoc enim unicum a notione ad esse procedit[74])

---

71) Kant nennt es ein „Dogma zu praktischem Behuf".

72) K. d. pr. V. p. 150.

73) K. d. r. V. p. 451. Ein andrer intelligibler Charakter würde auch einen andern empirischen ergeben haben. cf. K. Fischer, Gesch. d. N. Phil Mannh. IV. p. 133. 137.

74) Hegel, Beweise fürs Dasein Gottes. W. W. Bd. 12.

Deum scilicet si cogitamus, constat nos, utcunque haec idea apud singulos homines varia est, summum quo nihil majus cogitari potest, dicere. — Quod quale sit, abstrahendo invenimus quatuor quae in ratione nostra insunt, categoriis. Summum ens qualitate infinitum, quantitate unicum, relatione causa sui, modalitate necessarium. Notio igitur dei est notio entis perfectissimi, realissimi et absolute necessarii, ex quo omnes limites, negationes et contingentes causae secluduntur. Ontologice ergo deus triplici modo comprobatur I^{0} ex notione realissimi II^{0} perfectissimi III^{0} absolute necessarii. —

Ac primam viam primus Anselmus secutus est, cujus syllogismus breviter restrictus hic est: Negatio repugnat realitati, realitas autem non repugnat realitati, itaque ens absolute realissimum cogitari potest in quo nihil inest nisi realitates. Quarum realitatum una est existentia, qua remota illud ens ne cogitari quidem posset. Esse igitur est possibilitatis complementum[75].

Invenimus autem jam ante Anselmum, qui hoc argumentum attingunt; omitto quod Aristoteles (?)[76] eleaticum quendam philosophum unicum deum comprobasse attulit; praetereo illud Aristotelis, notionem boni per se objectivam affirmationem habere.[77]): ex christianis solum philosophis Augustinum commemoro, qui deum, ut est summum ens et absoluta veritas necessario existere volebat.[78]) Jam quicunque num sit veritas, dubitat, in se ipso habet verum, de quo non dubitat (de ver. rel: 73) : nec ullum verum nisi veritate verum

75) Anselmi monol c. 1—3. Leibn. nouv. Essays l. IV. ch. 9. Erdm. p. 373.

76) Arist. (?) de Xenoph. Jen. et Gorg. c. 3 cf. Weiße, Idee der Gottl. Drsd. 1833 p. 24.

77) Arist. Met. III. p. 75 ed Brandis Plat. Rep. VI, p. 509.

78) Augustin. solil. I, 3. 4. De trin. VIII, 5. Dei enim bonitas et aeternitas ipsa Dei substantia est; neque in ipsa dei substantia quidquam est, nisi ipsum Est, unde et immutabilis est. cf. id. de ver. rel. p. 49.

est. Immutabilis autem veritas est deus, quo nihil superius cogitari potest (de ver. rel. 57. de trin. VIII, 3). — Sunt, ait Augustinus,[79]) cogitationes, in quas semper omnes homines conveniunt, velut mathematicae, quibus etiam illa veritas adnumeranda, quod sibi quisque veritatem appetendam esse putat. Immutabilis igitur sapientia existat necesse est. Quae et ad nos et per se summum ens est. Aut enim id est, quo superius cogitari non potest, deus; aut cogitari potest, tunc hoc est deus.

Sed confudit Augustinus existentiam veritatis quoad scitur cum ejus existentia quoad realiter existit, quod quidem ei propter Platonicam quam habebat, philosophiam, facile accidit.

Simili modo Boëthius ex imperfectis rebus, quae nisi conjunctae cum perfectione non sint, ad perfectissimum ens ascendit. Quodsi in quolibet genere imperfectum quid videtur esse, perfecti quoque aliquid esse in eo necesse est. Cum autem nihil melius deo cogitari queat, illum perfectissimum esse, quis est qui neget?[80])

Sed quae ab antiquioribus philosophis obscure dicta videmus, Anselmus Cantuarensis[81]) qui primus consulto de ipsa idea dei philosophatus est, dilucide explanavit. Omnes res, ait, communes suas notiones habent quatenus ejusdem generis sint, itaque omnes res quae sunt, essentiâ, quae quidem per se existat necesse est.[82]) Existit igitur summum

79) Aug. de lib. a. II, 5—15. cf. Münscher DG. III. p. 268. Marbg. 1818.

80) Boëth. de consol. phil. III. prosa 10. p. 154. 155.

81) Anselm, monol. c. 1. cf. Haße, Anselm v. C. Bd. 2, p. 113 bis 133. Weiße, Idee d. Gotth. p. 18. Schleiermacher, Gesch. d. Ph. W. W. Bd. 33. p. 33. Dühring, Gsch. d. Ph. 1869, p. 33. Rixner, G. d. Ph. II. p. 18. Hegel, Encycl. p. 97. Billroth disp. hist.-crit. de Ans. prosl. et monol. 1832. H. Ritter, Chr. Ph. III.

82) monol. c. 3. Duns Scot. de prim. rer. princ. § 24 c. 4.

illud ens, quod etiam pulcherrimum est ac perfectissimum. Quo vero majus cogitari nequit, non potest esse solo in intellectu. Illud enim quod et cogitaretur et esset, majus nominandum esset. (Proslog. 2. 3.)

Contra Gaunilonem qui et cogitatione alicujus rei existentiam effici et deum a nobis cogitari posse negaverat, Anselmus[83]) obtinet, aliud esse cogitare rem sine argumento, aliud rem perfectissimam eandemque necessariam rationis nostrae notionem.[84]) Quod autem incepit a non esse, vel non existens cogitari potest, id non est proprie. Nec aliud vult Noster comprobare, quam ut summam veritatem realiter existere credamus. Duas autem res non attulit, quibus argumentum vere stabilitur: unam, quod summam cogitationem etiam objective existentem cogitari necesse est, alteram, quod haec cogitatio necessario in nobis existit. Quarum illam Spinoza, hanc Kantius suppeditavit. Jam ante Spinozam Cartesius[83]) ideam dei non facticiam aut adventiciam esse sed innatam atque ab ipso deo nobis inditam apagogice demonstraverat. Sed Kantius ei jam bene objecit, nec deum eadem certitudine, qua geometricam demonstrationem[86]) existere — nec, licet idea dei nobis innata esset, nisi hypothetice existere.[87]) Spinoza autem, cum deum substantiam esse velit, essentiâ ejus involutam docet existentiam[88]) ita ut deus, qui

---

83) Liber pro insip. adv. Ans. prosl. ratiocin (Ans. opp. p. 32). Dgg. Ans. l. apol. c. Gaun, respond. pro insip. Opp. p. 34. Gerb. p. 37.

84) Hegel, Encycl. 2. A. p. 61. Anselm hat mit Recht das nur für vollkommen erklärt, was nicht blos auf subjective Weise sei, sondern zugleich auf obj. Weise ist. cf. Möhler, Symb. p. 153. Anselm, proslog. 22.

85) Cartes, princ. phil. I, 17. 18. 19. de meth. 23. H. C. W. Sigwart, der Spinozism. 1839, p. 16—20.

86) Cart. princ. phil. medeit. 3.

87) Kant, K. d. r. V. (Kirchm.) 477. Die unbedingte Nothwendigkeit der Urtheile ist nicht eine unbedingte Nothwendigkeit der Sachen.

88) Spinoza, Eth. I. df. 1.

et causa sui sit nec ab alio existente concipiatur, aut existens cogitetur, aut plane non cogitetur.[89]) Adde quod deus, ut est substantia infinitis attributis constans necessario existit. — Cujus essentiae per se necessariae cogitationem ipsam necessariam esse, Kantius demum docuit. Cum negationes, quibus singulas res a reali essentia sejungimus, limitationes sint majoris realitatis, ratio nostra ens aliquod originarium summeque reale concipit.[90]) Hanc nostram ideam contendemus simplicem, aeternam omnibusque numeris absolutam esse. Etiamsi huic ideae nulla realitas vindicetur experientiâ, tamen sapientissimi cujusque ratio eam format haud minus quam transscendentalem paralogismum. Si quid existit, etiam aliquid necessario existere concedendum est. Contingentes enim res solum ex necessariis sunt atque ad necessario existentem causam ascendere cogimur (K. d. r. V. 471.). Sed tantum abest ut Kantius hanc necessariam causam realiter existere velit, ut existentiam rei ex cogitatione „extricari" posse neget. Nihil enim alicui rei succrescere, si dicas: haec res est, quoniam esse non reale quoddam praedicatum sit[92]). Quapropter si quis aliquod ens, licet realissimum cogitatum neget, nihil secum pugnans eloqui.[93]) Quo ut contenderet, Kantius sceptica sua contemplatione rerum incitatus est. Quo majorem igitur harmoniam inter esse et cogitare posuerunt

---

89) cf. M. Mendelssohn, Morgenst. 1786. „Was ohne Realität gedacht werden kann, ist eingeschränkt und abhängig zunächst von mir, dem Denkenden. Gott also habe ich entweder nicht abhängig, oder gar nicht."

90) Kant, K. d. r. V. (Ki.) p. 465. omnitudo realitatis. p. 467. bsdrs. p. 322 f. „Diesen dialektischen Vernunftschluß werde ich Ideal d. r. V. nennen." p. 465.

91) Leibnitz, de vita beata III, 4. Erdm. p. 74.

92) K. d. r. V. p. 481. Einzig mögl. Beweggrd. fürs Dasein Gottes. 1763.

93) K. d. r. V. p. 478. „Ihr habt also gesehen, daß, wenn ich das Prädikat eines Urtheils sammt dem Subject aufhebe, niemals ein innrer Widerspruch entspringen könne."

qui illum secuti sunt philosophi, eo pluris ontologicum argumentum valeat; Cartesius ex finita nostra ratione procedere videtur, Spinoza ex infinita substantia, quae num existat ne quaeri quidem a nobis possit quippe qui substantiae „modi“ realiter existamus; Kantius, quamquam ideam „omnitudinis realitatis“ nobis innatam concedit, tamen eam spoliat existentiâ, quam sensibus solum percipiamus.

Hoc autem est, sublato, quem Kantius bene detexit, errore, id, quod omnibus hujus generis argumentis veri inest, quamquam comprobari nequit: Ferre non possumus id, cui omnes maxime studemus, nihil esse nisi ideam ficticiam. Etenim maximum si non esset, tunc non esset maximum, quod vero quin existat, fieri nequit. Quod desiderium nescio an hoc syllogismo constringatur: Deum cogito esse complexum omnium realitatum; existentiam autem cogito esse realitatem; ergo deum cogito existere. Cujus syllogismi principium, unitas essendi et cogitandi, quatenus verum sit, hic nondum disputamus; in hac autem re errat argumentum, quod existentiam dicit esse unam ex realitatibus eamque perfectionis quasi complementum. Perfectum enim ens si cogitatur, sine dubio existens cogitandum est; nunquam vero haec cogitatio efficit existentiam. —

Jam vero quoniam statuimus, nullo omnino argumento comprobari, deum objective, realiter et extra mundum esse, nunc secundum nostram supra dictam methodum videamus, quidnam veri, omnibus illis argumentis, quae nempe ratio nostra praebuit, collectis, efficiatur. Ac neminem fugit, rationem nostram in hunc modum argumentando gravissimas quaestiones attigisse, quibus solutis se intellecturam esse sperat, quî deus cum mundo conjungendus sit. Qua in disquisitione tria scilicet momenta gradatim eruemus: quo modo, ut usitatis verbis utar, deum immanentem mundo, transscendentem et personalem nominemus. Quapropter ita disputa-

bimus, ut examinata cujusvis argumenti veritate, quomodo omnipraesentia dei cum ejus personalitate concilianda sit, doceamus.

Hoc autem priusquam incipiamus breviter commemoro. Ex argumentis consideratis apparet, tria esse totius nostrae contemplationis momenta, a quibus aut unitis aut non unitis pax animi nostri pendeat. Sunt aliqua facta, quae intuitio agnoscit, sunt aliquae veritates per se certissimae, sunt aliquae dignitatis normae, quibus metimur omnia. Nec tamen ulla earum veritatum exprimit id, quod vere est, sed id quod sit necesse est, legibus aliquibus adhibitis: nullum factum experientiae per se necessarium videmus, nec normae, ad quas pulchrum, verum, sanctum revocamus, omni dubitatione liberatae sunt. Quid igitur? nimirum jungenda sunt haec tria momenta, jungenda tria argumentandi principia, qua in unitate sola salus nostra et spes est.

Ac primum quidem in cosmologico argumento haec veritas inest, esse aliquam substantiam sibi constantem suique causam. Quod quidem qua ratione intelligendum sit, videbimus, gravissimis notionibus explanatis: identitate, substantia, causalitate. Homines primum de mundo ipsorumque vita cogitare conati, singularum rerum multitudine fere opprimebantur; mox autem rationem, quae universale quid et necessarium semper quaerit, secuti, aut unam per omnes mutationes materiam aut multas materias, i. e. atomos posuerunt, quas tamen in unum aliquid conjungebant. Quod uniendi desiderium rationis jam apud antiquissimos hylozoistas invenimus, qui alius aliud esse omnium rerum principium statuebant. Sed cum illi sensuales res primo quodam principio explicarent, Eleatae sensuali materia plane neglecta, omnem veritatem in spirituali quodam existente ponebant.[94]) Velut

94) Aristocles ap. Euseb. praep. ev. XIV, 17 *οἴονται γὰρ δεῖν*

Xenophanes et multitudinem esse et quidquam fieri negat;[95] purum igitur Esse deus est, deus est unum et omne[96] sibi constans, totum videns, totum audiens nec solum infinitum et immotum, nec finitum solum aut motum (Arist. de Xen. etc. I, 3). Quae vero ratio intercedat inter hoc unum et singulas res, nec apud Eleatas nec apud Spinozam, qui item ad unam essentiam recedit, intelligimus. Quamquam Benedictus noster cognovit, unam quam ponit substantiam non ubique eandem esse, tamen, cur duo nec plura attributa doceat, nobis non persuasit; namque ab experientia ea arcessivit. Sed cur attributa et modos discernit, quoniam substantia nec sine his nec illis existit? Et qua via attributa et modi ex substantia evadunt? Si non necessario, substantia vana atque inanis est, quin et nos et externae res ad nihili speciem redigimur. Cujus doctrinam Hegelius emendavit, quum substantiam negatione motam et evolutam esse doceret. Quod vero essentiam in nihilum commutavit, id jam supra reprobavimus. Ex essentia fit nunquam nihil, nisi tale nihil, quod oppositum est alicui definitae rei, non existenti, purumm Esse ergo est non aliquid sed nunquam est aut fit nihil. Alioquin fiendi principium omnino principio essendi substituendum erat, tunc autem tristem haberes progressum in infinitum.

Sed quid veri inest in hac philosophorum doctrina? Imprimis comemoro, in quanto errore versentur, qui purum Esse

---

τὰν μὲν αἰσθήσεις καὶ τὰς φαντασίας καταβάλλειν, αὐτῷ δὲ μόνον τῷ λόγῳ πιστεύειν. Plat. Soph. p. 242. Aristot. Met. I, 5.

95) Aristot (?) de Xenoph. Zenon. et Gorgia 3. οὐδὲν γὰρ ἂν δύνασθαι πλειόνον ὄντων ἕνα μόνον. Diog. Laërt. IX, 19. πρῶτον δὲ ἀπεφήνατο ὅτι πᾶν τὸ γινόμενον φθαρτόν ἐστι. Aristot. de Xen etc. 4. ἀδύνατόν φησιν εἶναι, εἴτι ἐστὶ, γενέσθαι.

96) Arist. Met. I. 5. Cic. d. n. d. I, 11. Acad. II, 37. Xenophanes dixit, unum esse omnia. cf. Sext. Empiric. adv. phys. IX, 144. οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δὲ τ᾽ ἀκούει.

putant existere. Quid enim est notio illa, unde tot philosophi procedunt, essendi? Singulae res obiter consideranti fixae et in se fundatae totalitates (s. v. v.) videntur esse, attributis mutatis ipsae non mutatae. At quodcunque attributum mutatur causa, quae ipsa a multis aliis causis dependet; nec solum haec vel illa attributa mutantur sed etiam quibus ipsae res constituuntur. Quid igitur firmi in rebus restat? quidnam sunt res, quas vocas, et quid est illud quod vocas Esse? — At ipsa quidem res remanet, attributa solum, quae nos percipimus, mutantur. Audio. Sed duplici modo res contemplamur: et quales nobis apparent et quales per se sunt.[97]) Quid autem vult sibi illud „per se"? Suntne res, etiam hominibus, qua illa percipiunt, remotis, per se? Nonne semper cum aliis rebus junctae sunt **relationibus**, quibus omnibus sublatis res plane nullae sunt. Quid igitur illud pure Ens putase esse. nisi prorsus non ens? Sed sunt quaedam notiones abstractae, quas semper fingimus, nulla experientia fultae, quae quidem cogitandi vim non autem naturae cognitionem nostram augent Confer notionem motus, quae ipsa a nobis in celeritatem et viam disjungitur: nusquam motum invenies. nusquam viam et celeritatem, sed ubique res celeriter et aliqua via motas. Quibus notionibus per se non existentibus purum esse adnumero, ceteris nominibus ejus incitatus. Primum enim vocatur affirmatio. Sed quia id, quod extra nos existit cogitare solemus nec id quod solum in ratione est, obliviscimur, affirmationem puram, priusquam sciamus, quidnam affirmetur, ineptias esse. At positionem vocas essentiam. Sed positio, neglecto eo, quod ponitur, prorsus nulla est. Quid? quod nihil nude ponitur sed semper alicubi et in relationes aliquas cum hac vel illa

---

97) cf. quae optime disseruit K. Fischer, Gesch. d. N. Phil. II, 245. Goethe im Tasso: „Was wär' das Wesen, wenn es nicht erschiene?" Leibnitz, Nouv. Ess. II, ch. XIII, § 19. Th. b. Erdmann p. 240.

re. Conjunctis igitur demum his notionibus: quid? quo? et quibuscum rebus? — ponis aliquid esse. Atque hanc ob rem jam supra, cum de methodo loqueremur, a deo incipi posse negavimus, vel totam sententiam puri essendi rejecimus. Illud autem verum est in doctrina Eleatica, Spinozana, Hegeliana, quod unam omnium rerum relationem esse volunt, quam nos quidem secuti Lotze magnum nostratem ita definimus: omnes res, quae sunt relationibus inter se continentur.[98]

Objiciat quispiam: cur non res singulae ut mundi in se conclusi sine omni relatione ad ceteras res existere possunt? Atqui neminem, quominus hoc cogitet impediam. Quid vero mea interest mundorum nullatenus cum nostro junctorum? Ac si concesseris, nihil te invenisse sine relatione, ego tibi cogitationem purae essentiae, licet inanem, donabo.

Vidimus igitur, conspicati mundum, omnes res vicissim efficere et effici. Quid vero vult dicere quod **efficiendi** voce significamus? Quid est causa et effectus? quodque intercedit discrimen inter effectum et sequens. Quid vero? estne lex causalitatis vera atque unica, qua connexus rerum declaretur? Ac diximus, omnes res inter se in relationibus esse;[99]) relatio autem est, ubicunque refertur; referri porro nequit, nisi scimus, quid referatur et a quo et ad quid referatur. Duplex autem est modus referendi: unus in cogitatione humana, velut si magnum aliquid cum majore confers (ast haec relatio nihil in ipsius rei existentia efficit), alter in rebus ipsis. Sed quae est haec relatio quae inter singulas res existit. Examina, quaeso, illud „inter“ — num hoc verbum ullam realitatem habet? Nego. Quid enim? licet hoc inter

98) Lotze, Mikrokosmus III, 466.

99) Leibnitz, I. éclairciss. du nouv. syst. Erdm. p. 132. Je ne connais point ces masses vaines, inutiles et dans l'inaction, dont on parle. Il y a de l'action partout; je crois qu'il n'y a point de corps sans mouvement ni de substance sans effort.

velut vinculum cogites, semper etiam hoc vinculum cum rebus ipsis jungendum est aliquo „inter". Vides igitur, nihil prorsus existere inter res, sed quodcunque fieri videtur inter eas, fieri in ipsis. Quid? quod nihil pertineret ad res, quod non sentiant ipsae, quo non ipsae agitentur. — At nonne vires ex una in alteram rem transgrediuntur? Sed quidnam transgredi putas? An tertium aliquod ab utraque re abhorrens? Sed quomodo hoc seu vis, seu status, seu effectus, ab una re disjunctum, postquam aliquantulum in aëre pependit, ad alteram transvolitabit![100])

Habes hic quod effectus et causa sibi volunt. Utraque enim vox eadem est. Nec quidquam vocari potest causa sublato effectu et vice versa. Nec ullam rem permittimus puram causam vocari, sed quaecunque res causat, eadem ipsa causatur. Nunquam enim causat quidquam, quod non simul patiatur.

Ac nunc quid est, quod semper vocatur vis? Fuit antiquorum opinio popularis, quae dicitur mythologica, omnes naturae res viva idea vigentique vi moveri, omnes arbores, fontes et montes suo, quod iis consuleret, numine regi. Quae opinio a poetis saepe vel hodie revocata, etiam ipsa deos naturalibus legibus obsequentes facit, itaque infragilem legum vim imaginibus cogitatione fictis ornat. Dein posteri, hac opinione radicitus excussa, singulas tamen res vi quadam innata motas atque animatas posuit. Non ergo ab animis ajebant res extrinsecus pelli, sed suo impulsu animari; petere huc vel illuc videbantur res vehementi desiderio motae;

---

100) Optime ergo Lotze, Mikrok. I, p. 310. „Sowie wir wohl wissen, was wir meinen, wenn wir sagen, daß etwas sei, aber nie erfahren und ergründen werden, wie Sein gemacht wird; so wissen wir, was wir meinen, wenn wir vom Wirken sprechen, aber nie werden wir angeben können, wodurch das Wirken überhaupt zu Stande kommt."

sequi hos vel illos fines, quos aut scirent aut non scirent.[101]) Ut nos ipsi, quamquam hominis esse putamus, clare cognoscere et arbitrarie velle, tamen ea non minimi aestimamus, quae quasi nobis insciis natura nostra pulchre et hilare fingit, ita naturam quoque volumus ex vigenti sua vi, sibi insciam quae magna fert producere. Accedit quod nec profundissima ipsius nostrae essentiae penetrare videmur, quapropter et in nobis et in natura adyton quoddam ponimus, unde omnes vires profluant. Atque ut corpus nostrum, ita omnes res, quas movemus ab animo nostro ut arcana quadam vi pervadi videntur.

Quid vero hac opinione consequimur? Nonne secundum eam aut omnes res animatae cogitandae sunt, aut irresistibili licet non alieno impulsu tractae? Quarum sententiarum illa nimis ab experientia abhorret — haec autem cum pura necessitate, quam fugit, coïncidit.

Sed totam, quae ex solis viribus omnia explicat, doctrinam, ut inanem verborum lusum reprobo. Discrimen illud a scholasticis, Aristotelem secutis inculcatum inter materiam (*ὕλην*) et vim (*ἐνέργειαν*) plane nego existere. Nec enim materia invenietis, omni energia, qua moveatur, sublata, nec minus vim nisi in aliqua re agentem.

Dixerit quispiam: optime, sed quî fit, ut illa vis materialis vel agens materies in tot singulis rebus existat? An tu putas eas nihil esse, nisi formas cogitationis nostrae? Unde haec una materia in tot particulas licet vivas agentesque separata est?

---

101) Diogen. Apollon. ap. Simpl. phys. f. 33. a. *καί μοι δοκεῖ ὁ ἀὴρ πάντων κρατεῖν — καὶ ἔστι μηδὲ ἓν ὅτι μὴ μετέχει τούτου.* Empedocles, ap. Sext. Emp. adv. math. X, 10. *τὴν μὲν φιλίαν ὡς συναγωγὸν αἰτίαν, τὸ δὲ νεῖκος ὡς διαλυτικήν.* Giord. Bruno della causa 241. Tutte le cose hanno in se anima, hanno vita secondo la sostanza e non secondo l'atto ed operazione.

Neque ego hanc objectionem ignorabo. At non de creatione mundi sed de existentis mundi explicatione agitur. Illa igitur materia, quotempore et a quo disposita sit, non respondebo. Hoc autem, disposita materia quomodo explicanda sit, conabor.

Quod ut faciam, pauca **de spatio** praefanda sunt. Ac nobis quidem spatium nec per se aliqua substantia esse nec intuitio solum nostra videtur. Quarum doctrinarum prior brevi rejiciatur, quae jam disquisitionibus Eleaticis concussa est.[102]) Sed ne alteri quidem a Kantio defensae prorsus consentimus. Etenim si quaeris quidnam populares spatio notiones, illâ Kantiana nixae sibi velint cum dicant-spatium nihil esse nisi ordinem, formam, relationem rerum — invenies, omnes illas referendas esse ad possibilitatem aliquam vel quasi vacuam scenam, in qua res non impeditae moveantur.[103]) Qua notione nihil ad explicandam rem sed aliud nomen affertur. Affirmantes enim aliam rem praeter aliam existere, dicunt, quid praestet spatium, non quid sit. — Quodsi Kantius spatium nisi intuitionem nostram a priori nihil esse vult,[104]) maxime pugnat cum experientia, singulari suo discrimine inter res quoad per se et ad nos sint deductus. Quamvis enim non

---

102) Aristot. Met. XIII, 3. quae sententia ab atomistis maxime prolata est cf. Preller et Ritter, hist. phil. 3. A. p. 46. Ritter, Gesch. d. Phil. I, p. 598 ed 2. E. Dühring, krit. Gesch. d. Phil. Berl. 1869 p. 62. Ueberweg, Syst. d. Log., Bonn 1866 p. 76.

103) Leibnitz, repl. aux réfl. de Bayle Erdm. 189. Je reconnais, que le tems, l'étendue, le mouvement et le continu . . . ne sont que des choses idéales; c'est-à-dire, qui expriment les possibilités; tout comme font les nombres. Rothe, th. Eth. 2. A. 1869. I. p. 241. „Der Raum, der schlechthin leere, der selbst kein Ding ist". Weiße, ph. Dk. II, p. 57. „Der Raum ist die Form des Daseins, die Urmöglichkeit." Schopenhauer, W. als W. u. V., 3. A. II. p. 57. „Das allgegenwärt. Nichts, aus dem kein Ding heraus kann."

104) Kant, Kr. d. r. V. p. 59, 3. „Der Raum ist kein diskursiver oder, wie man sagt, allgemeiner Begriff von Verhältnissen der Dinge überhaupt, sondern eine reine Anschauung."

ignorem, sensus nostros non ipsas res intussuscipere nec perceptiones nostras esse id, quod significant, nempe perceptiones nostras esse id, quod significant, nempe perceptionem amari non ipsam esse amaram, totius non ipsam totam esse — tamen primo negamus plane rem ullam per se (Ding an sich) existere dein sensus nostros falli. Sunt quorum oculus nescio quo pacto naturâ ita generatus est, ut ei omnes res, quae ceteris hominibus caeruleae videntur esse, viridae appareant; qui suffusione bilis luridae laborat, nusquam album colorem pure videbit. Non fallunt igitur sensuum perceptiones quamquam eas in nobis solum itaque subjectivas esse concedo. Nec enim quisquam volet illas ita cum rebus externis consentire, ut ipsae sint amarae, magnae, obscurae — alioquin nos idem essemus ac res ipsae. Rectae autem et sincerae perceptiones sunt, quatenus nihil sunt nisi nostri animi affectus.[105] Quid quod perceptiones nostrae locales etiam apta oculi directione fiunt: namque uno solum puncto retinae nostrae impressus rerum acerrime percipimus: quoties igitur cetera retina acrius afficitur, illud punctum eo dirigimus, ut, quo affecti eramus, quam optime videamus. Habes hic varias visus affectiones, vario rerum loco causatas.

Jam supra vidimus, omnes res invicem causari, quovis vinculo et intervallo remoto. Non igitur res sunt in spatio sed spatium est in rebus; i. e. summa relationum quibus aliqua res cum ceteris connectitur, hunc vel illum statum rei efficit, qui ceteris rebus, si contemplari possent, sub spatii intuitione appareret; non igitur operatur res, ubi est, sed ubicunque operatur, ibi eam esse dico. Locus vel spatium ergo est summa mutuarum actionum, quibus plures res secum

---

105 Leibn. nouv. ess. II, I, § 17. Erdm. 226. Les perceptions de l'âme répondent toujours naturellement à la constitution du corps. Ueberweg, Syst. d. Logik. p. 71 § 10. Aristipp b. Sext. E. adv. math. VII, 91. τὸ πάθος ἡμῖν ἐστι φαινόμενον. Lotze, Mikrok. I, 358.

referuntur. Atque quoad illa relationum summa mutatur, res moveri huc vel illuc, permetiri hoc vel illud spatium videntur. Atqui ut hanc spatii intuitionem semper habeamus, opus est locali quadam animi functione, quae nescio quomodo singulas perceptiones localiter ordinet.[106])

Qua spatii definitione jam quid temporis vox sibi velit optime explanatur. Tempus enim nihil videtur esse nisi ipse rerum motus, quem spatium vocavimus, sub seriei vel intinesis imagine consideratum, quod omnes temporis metae, quae e spatio arcessuntur comprobant.[107]) — Illam rerum vim quasi mutuam, quo verbo tamen notionem vocis „inter“ haud recepimus, quin infinitam cogitamus, nihil est, quod impediat; immo intuitione ut ita cogitemus, movemur, quamquam spatium semper simul limitibus secludimus. Quae res quomodo se habeat, illud jam effecisse puto, ut unam continentum substantiam eamque vivam et infinitam ponamus. Substantiam dico, non materiam; haec enim vox a nullo unquam clare definita est[108]) nec in virium doctrina, quam defendo, adhibenda est. Attributa enim quibus materia ornari solet: extensitate, resistentia etc. nihil sunt, nisi rationis abstrahentis dicta. Licet concedamus, extensas particulas, ut isti volunt, esse materiam, tamen ne hae quidem sejunctae semper remanerent, nisi vi aliqua iis innata seclusae. Rejicimur ergo etiam hic ad nostram essendi definitionem.

---

106) cf. Lotze, Mikrokosm. I, p. 347. Puto igitur simulacrum quasi spatii in ratione nostra inesse. Spatio nempe et tempori realitatem adscribo, nisi forte commutationem realem esse negas.

107) Volkmann, Psychol. p. 191. Novalis III, p. 294. Zeit ist innerer Raum, Raum ist innere Zeit. J. B. Meyer, phil. Zeitfragen p. 272. „Die Zeit ist allerdings zunächst nur eine subj. menschl. Anschauungsform für die Vorstellung der successiven Folge wahrgenommener Veränderungen.“

108) Ulrici, Gott und der Mensch I, p. 1—15.

Qui vero fit, ut haec una substantia in tot variis rebus existat? iam supra quaesivisti. Nunc respondemus. Cosmologicum argumentum contingentiâ mundi nititur; contendit, mutari semper omnes res et ad substantiam et ad attributa — cui argumento hanc veritatem concedo: mutantur attributa et quoad nobis apparent et quoad ipsam rem constituunt. Apparere enim nihil potest, quod non est in re ac res qualis unoquoque tempore est, apparet[109]. Attributa igitur et qualitates non habet res, sed est semper talis secundam eam, qua agit, rationem. Non attributis ergo res inter se abhorrent, sed actu et essentiâ. Nec tamen ulla res est purum agere, sed aliquid agens, non purum esse, sed ens aliquid. Nec res, licet mutentur, prorsus aliae fiunt — existit, id nunquam negabo, existit in rebus aliquod centrum, quod modo evolvitur modo in se ipsum redit. Cogimur igitur ad substantiae notionem secundam arcessere: ideam, quam cum Leibnitzio Aristotelem secuti entelechiam vocamus.[110]) Est autem haec idea nec una solum rerum qualitas, nec cogitatio quasi supra rem pendens sed intima rei vis, quae variis sub condicionibus mutatisque attributis rem semper unam eandem que reddit. Est igitur quaevis res conglutinatio quaedam atomorum, quae nec spatio nec ipsarum corporea natura sejunctae vicissim operantur;[111]) non quanti-

---

109) Lotze, Mikrok. I, p. 216. 397. Romang, Willensfreih. u. Determin. Bern 1835. p. 25.

110) Leibnitii, Monadol. 18. Erdm. p. 706. cf. quod idem scribit ad Bouvet p. 146. les formes des Anciens ou Entéléchies (ἔχουσαν vim τὸ ἐντελέω) ne sont autre chose, que les forces les formes constitutives des substances. In hac sententia, quâ tota Leibnitii doctrina nititur, cum hoc praeclaro philosopho convenimus.

111) Contra Leibnitius: ad des Bosses ep. 28. Erdm. 728. „Non credo systema esse possibile, in quo monades in se invicem agant quia non videtur explicandi modus.“ — Sed noster complures sententias habet de monadis explicatione.

tate sed qualitate differentes, repulsione et adhaesione, i. e. vi mechanica singulas res locales producunt. Non enim illud videtur esse harmoniae, ut omnes primae partes eadem sint, sed ut licet differentes idem et unum consilium efficiant.

Sed jam secundum argumentum quod vocant teleologicum attigimus. Quid enim? quum monstraverim, fictitiam esse orationem, si quis dicat, hanc rem huc vel illuc pelli, quoniam nec impulsus est, nec motus sed ubicunque res aliqua movetur, duae res vel plures inter se agunt et patiuntur; porro, quum res non puram aliquam qualitatem habet, sed uno quoque momento fit coefficientibus omnibus aliis rebus, necesse est, nos hic notionis legis et finis rationem habeamus. Jamdudum enim quispiam nobis objecturus erat, ea quae diximus ad organismos referenda esse, qui ideam sibi innatam certis legibus ad suos fines evolvant. Et organismi a rebus mechanica compositis quammaxime discrepare videntur. Sed illud discrimen inter mechanicam et organicam doctrinam nostris quas ponimus atomis tollitur. Quid enim? nonne omnia attributa, quae organismis solent adscribi, ut se conservent generentque suam legem suumque finem secuti, secundum nostram doctrinam etiam anorganicis rebus insunt? Atqui organismi multis aliis atomis, ut infra videbimus, atque anorganicae res constituuntur. Ceterum autem etiam tota organismi vita mechanice explicanda est. Etenim qua ratione hae vel illae atomi hac vel illa vi unam eandem que rem producant, metaphysice solum explicatur; quomodo autem organismi existant, generent et moriantur, mechanicae doctrinae esse puto. Quid? nonne nostra vita perpetuus tabescendi processus est, qui solum novis atomis intussusceptis restituitur et retardatur? Et quod ad generationem attinet, qua organismi caeteris rebus praestent[112]), nec magnetis la-

112) Kant, Gebrauch des teleol. Prinzips in d. Phil. W. W. X. Hart. p. 93. Jessen, Psychol. p. 52 f.

pidis ferrum attrahentis vires minuuntur, nec vires alicunde aliquo transferuntur, ut supra diximus; ita organismi semen, ut est quasi totius complicatio, viribus auctoris haud diminutis, suas vires non prius explicat, quam contactu aliarum virium excitatur. — At quomodo illum, quem mechanicum vocas processum, omnibus rebus, ut sunt vires agentes, communem explicas? Corripiuntur, opinor, novae semper atomi singula vi, i. e. re, quae vicissim cum ceteris agens mutatis attributis unam eandamque legem sequitur. L e g e m igitur, legem in tota nostra doctrina omittere nullo modo possumus. Legem sequi videtur suam quaeque arbor, suam ab idea quasi praescriptam formam, quam per ramos frondesque evolvat; legem sequi videntur stellae, lapides, bestiae: legem denique quodvis individuum. — Sed accuratius videamus, quidnam l e g i s vox sibi velit. Per legem intelligo id, quod alicui sequendum ponitur; ei autem, qui sequatur, opus est intellectu et facultate faciendi et non faciendi. Age vero, quid hujus definitionis ad mundum transferri potest? Missam igitur faciamus vulgarem legis usum. Totam enim doctrinam, quae secundum leges omnia fieri docet, ex eo errore profectam esse censeo, ut universum in duas partes sejungat, quarum altera spiritualis altera materialis vocatur. Quasi illa spiritualis pars, quae hanc dirigat, sine dirigenda mole cogitari posset; Loquor de natura; quid homines? num etiam hi conspiciunt leges per se volitantes? Nec potius s u n t leges, ubicunque servantur; velut rationis — quid sunt aliud, atque eadem in multis volendi, cogitandi, sentiendi ratio, quae societatem humanam conspicanti extrinseca vis videtur esse. Dein dicas, quaeso, quo modo illas naturae leges cum singulis rebus conjungis? An exemplar videntur esse? Quod res non imitabuntur, nisi ita generatae sunt, ut nolint velint necessitate suae naturae illud depingant. Imo

quicquid ex atomorum natura invicem agente sequitur fit; et quod nos quaternione terminorum legem vocamus nihil est, nisi notio ex necessaria universi evolutione detracta, cui respondet certus ille virium concursus, quae ab externo aliae cum aliis ad easdem ac novas conformationes evolvuntur.

Jam vero de finibus, secundum quos omnia in natura fieri dicuntur, disseremus. Nam cum hactenus nihil efficere vellemus, nisi ut continens causarum vel potius virium connexus in praesenti universo agnosceretur, nunc ad majorem quaestionem ascendimus, quae ubique cogitanti homini offertur: utrum totus mundus sit contingens, caecus et amens atomorum ludus, an effectus intelligentiae sapienter agentis. Sed omitto mundi cursum, quoniam ex causis necessario evadit, nec coecum esse nec contingentem, missam facio superbiam, quae se omnes numinis fines cognovisse gloriatur — mihi quidem notio finis ad deum, siquidem ejus jam hic mentionem faciamus, transferri non posse videtur. Quid enim? fines nonne ei solum voluntati adscribendi sunt, cujus velle non simul est perficere, impedimento aliquo resistente? Nos enim quod volumus, praeter naturam non efficiemus, qua propter Baco Verulamius naturae imperare jubet parendo (nov. org. aph. I, 129). Ac ne agere quidem sublata aliqua materia possumus. Alioquin omnes motus et appetitus profusi plane ac nebulae remanerent. Hanc autem agendi et volendi rationem, quae est obnoxia externis rebus, in summum deum non transferemus. Nisi forte materiam ei opponere velis, quam sua idearum copia formet.

Nec vero alteri sententiae consentimus, quae commixto fine eoque quo efficitur, mundum cum animali comparat, quod sibi inscium quasi dormitans substantia simul et idea se per singulas res evolvit.[113]) Ac secum ipsa haec doctrina

113) Schelling, W. W. I, 3 p. 600. „Das ewig Unbewußte, welches, gleichsam die ewige Sonne im Reich der Geister durch sein eignes ungetrübtes

pugnat. Quid enim? si absolutum illud „clarâ sapientia eademque sibi inscia“ consilium sequitur, et media quibus efficiatur, eligit, nonne idem est ac Reimari, teleologi istius, numen? Mutatur nihil nisi nomen. Nec effectus nec efficiendi modus aliter describitur, sed causa solum efficiens, cui attribuuntur quae nisi ex absoluto sibi conscio proficisci nequeunt.

Qua vero nobis finalis universi contemplatio adhibenda esse videatur, exponemus, postquam hominis naturam consideraverimus.

Hoc autem jam hactenus effecimus, universum esse organismum, in quo alterius altera res causa est et effectus, finis et via; in quo omnes res vivunt secundum suam quaeque ideam, eademque unius vivi infiniti motus et membra. Qui substantialis organismus non solum scena quasi est, aut vinculum aut via sed unicuique rei quo modo operetur secundum legem aliqam communem quasi imperat. Quam legem nihil esse, misi omnipraesentem universi vim postea videbimus. Quapropter si experientia nihil ultra suppeditaret, neminem impediremus, quominus deo prorsus negato mundum per se existere contenderet. Nec citius eos, qui hanc pancosmisticam doctrinam defendunt, impios vocemus! Etinem deum (i. e. mundum) e s s e isti minime negant; hoc absolutum ens timent atque amant, quippe cui omne quod sunt et habent debeant. Pius autem animus eis objiciet, nec morali

---

Licht sich verbirgt, und obgleich es n i e Object wird, doch allen freien Handlungen seine Identität aufdrückt, ist zugleich dasselbe für alle Intelligenzen.“ Besonders: E. v. H a r t m a n n, Philos. des Unbewußten 3. A. 1871. p. 3. 4. „Fassen wir aber die Welt ins Auge, so nimmt der Ausdruck (das Unbewußte) auch die Bedeutung eines Collectivums an, welches alle diese nicht nur unter sich, sondern i n sich begreift. Endlich aber stellt sich in cap. C. VII. heraus, daß alle unbewußten Functionen von Einem identischen Subjecte herrühren, welches in den vielen Individuen nur seine phänomenale Offenbarung hat, so daß alsdann „das Unbewußte dieses Eine absol. Subj. bedeutet.“. —

rationis legi, nec precibus, quae audiantur, locum remanere. Quid? quod hominis natura, ut est personalis, haec doctrina nullo modo explicatur.[114]

Rationalem enim hominis naturam a ceteris organismis abhorrere constat. Quantumvis enim commutationis corporis nostri usque ad subtilissimas complicationis nervorum, physicas et mechanicas comprobaverimus —: nunquam hiatum transgrediemur, qui inter particulas corporis aëre motas et sensuum perceptionem intercedit.[115] Atque imprimis conscientia nostri ceteris creaturis nos antecellere ostendit.[116] Nam etiamsi mihi non viderer, unus et idem esse, iam satis est, quod misi appareo. Ad apparendum nempe utrumque opus est: et quod apparet et cui appareat. At ista conscientia, inquis, nihil est, nisi tertius motus qui ex duobus motibus coefficitur. Sed quod a pluribus rebus profertur, aut ad novam rem coalescit, aut non coalescit. Velut aetatis ingenium in singulis solum hominibus disjectum vivit, priusquam tota idearum copia ab uno quodam in unam formam confunditur — ita quoque omnia, quae sentimus, percipimus, sumus, si non existeret aliqua vis,[117] disjecta membra poetae

---

114) Rohmer, Krit. d. Gottesbgr. in den gegenwärt. Weltansch. Nördlg. 1856 p. 24. 25. D. Strauß, d. alte u. d. neue Glaube 1872. 2. A. q. 141—146.

115) Kant, teleol. Prinz. i. d. Phil. X, p. 91. Frz. Hoffmann, Theism. u. Panth. Würzburg 1861 p. 15. Chalybaeus, Phil. u. Christenth. p. 55. 120. Dubois-Reymond, „Ueber die Grenzen der Nat.-Erk.“ Lpz. 1872. „Es bleibt durchaus und für immer unbegreiflich, daß es einer Anzahl von Kohlenstoff-Wasserstoff und andern Atomen nicht sollte gleichgültig sein wie sie liegen und sich bewegen, es ist in keiner Weise einzusehen, wie aus ihrem Zusammenhang Bewußtsein entstehen kann.“

116) Kant, Antrop. I. 1. Buch § 1. „Daß der Mensch in seiner Vorstellung das Ich haben kann, erhebt ihn unendl. über alle andern auf der Erde lebenden Wesen.“ cf. quae contra hoc stulte affert C. Vogt, Bilder aus dem Thierleben 1852 p. 434. Ueber den Menschen I, p. 295.

117) Vim dixi, non „sedem animae“, cf. Kant, Ueber das Organ der Seele X, p. 108. 111.

remanerent. Adde quod perceptiones non plane commiscentur, sed sua cujusque vi servata, a nobis comparantur et dijudicantur; ac ita attributa singularum perceptionum sejungentes fingimus notiones. Cujus etiam memoria idearumque illa associatio testes sunt. Conjungit igitur, non confundit chemice aliqua vis perceptiones suas ad melodiam quasi cujus singulae partes nunquam sine ceteris simul attractis resonabunt. Quin hac vi remota nunquam aut universales generis et speciei notiones aut universi nostrive ideam conciperemus; ignotae scilicet nobis essent in perpetuum: veritatis, causae, legis, totius, absoluti, finis cogitationes. Quod quidem optime docet conscientia nostri, quae triplicem nobis suppeditat scientiam: scio; scio me scire; ego sum, qui scit et qui se scire scit.[118] Quae scientia etsi nobis innata, externis solum rebus incitatur. Hoc autem centrum, quod se scitaque scit, et se ipsum ab omnibus externis rebus (etiam a corpore suo) sejungit, aliquid sui juris esse necesse est, quamquam nos indole et ingenio, sexu et aetate, familia et populo destinari concedo. Postulamus igitur animum, qui quantumvis illis rebus tractus et mutatus, suam tamen ideam evolvat. Hic nolens volens quod ei extrinsecus sensus offerunt, percipit; hic corporis sui statu afficitur — semper tamen ipse perceptiones reflectit, comparat, dijudicat, eligit voluptate vel taedio motus.[119] Quid igitur? quoniam hic animi

---

118) Sederholm, ew. Thatſ. Lpz. 1845 p. 30. 38. Heſſen, Pſychol. p. 177. Rothe, theol. Eth. I. p. 311. Volkmann, Pſychol. p. 297. Schaller, Leib u. Seele I, p. 154. „Sich ſelbſt als Ganzes hervorbringen, als Einheit mit ſich zuſammenſchließeu, alſo in der Unterſcheidung Product ſeiner ſelbſt zu ſein, — eben dieſer Proceß iſt Subject, Selbſtgefühl.“ — Schleiermacher: „Wir ſind denkend u. denken ſeiend“. Dialect. § 101. p. 53. Beilage D. p. 452.

119) Kant, Anthropol. I, § 41. W. W. X p. 211. „Wenn nun Verſtand das Vermögen der Regeln, die Urtheilskraft das Vermögen das Beſondere, ſofern es eln Fall dieſer Regeln iſt, aufzufinden iſt, ſo iſt die Vernunft das Vermögen, von dem Allgemeinen das Beſondere abzuleiten.“

effectus ex materiali nostra natura oriri nequit, nonne dimisso uniendi desiderio, superius quoddam et secundum praeter ceteram naturam concedemus: rationale. Atqui etiam bestiae conscientia quadam, appetitu et actione praeditae sunt, semper autem in his functionibus motibusque sibi insciae nec mentis suae cempotes versantur. Nos autem etiam contra sensuales appetitus, contraque sensualem voluptatem persaepe agimus. Inest igitur in nobis norma aliqua, quam secuti pluris aestimamus, quam inferiores quibus etiam bestiae fruuntur voluptates.

Sed ne quis putet, a nobis coelestem quasi animum et a corpore prorsus sejunctum poni, duplicem quaestionem breviter discutamus: qualis animus noster et quomodo conjunctus cum corpore nobis videatur.

Ac primum quidem animum putamus ita generatum, ut, quod jam dixi, scire possit et velle. Quarum facultas sciendi quomodo adhibeatur, exposui. Volendi autem, quin liberam (i. e. vulgari sensu) putemus, his causis impedimur.[120]) Nemo opinatur, a se vel corpus suum praeter leges, quibus illud obsequitur, moveri. Utut volitiones nostrae membra tollunt et ponunt, id ex corporis legibus fieri, cuivis persuasum est. Loquor de nostro corpore, quid de naturae corpore? Putasne vel minimam illius partem voluntate tua mutatum iri? Immo nihil efficies nisi finibus illius cursui accommodatis. — Quid? quod supernaturali quadam causalitate illi a nobis imposita et omnes causae in efficaces et omnes effectus, pui alioquin secuti essent irriti redderentur.[121]) Hoc igitur arbitrio totus

120) Delbrück, Melanchthon der Glaubenslehrer, Bonn 1826, p. 64. „Der Mensch ist frei! kann heißen, besitzt er das Vermögen, sich im Handeln selber zu bestimmen. Sie kann aber auch heißen: besitzt er das Vermögen kraft seiner Selbstbestimmung dem Willen eine gesetzliche, von jedem Einfluß der Sinnlichkeit völlig unabhängige Richtung zu geben.“

121) Spinoza, Eth. II, p. 29. 33. Schleiermacher, Gl. I § 81. p. 450. Romang, Willensfreih. u. Det. p. 40.

naturae connexus, naturaeque cognitio plane tolleretur. Omni enim vel minimo actu, qui non ex toto naturae connexu sequeretur, omnia perturbarentur. Quod ne fiat, libertas ab ejus defensoribus[122]) cum subtilioribus naturae viribus frustra comparatur. Eadem enim ratione, qua subtilior radius lucis aerem penetrat, libera causa in universi necessitatem immittitur. Sed ille lucis radius et suas et totius connexus leges sequitur. Quid vero illud discrimen sibi vult, ab omnipotenti deo essentiam solum, non actionem hominis penetrari ac regi. Quasi essentia, actionibus non se evolvens, cogitari posset.[123]) Reprobamus autem acriter istam libertatem, ex qua omni temporis momento, quidquid velimus, nulla re destinati posse dicimur.[124]) Quasi vero unquam pure velle haberemus, nec usque jam eo quo summus statu destinaremur.[125]) At vel irrationale, noxium, malum eligere possumus. Sed utique hac vel illa ratione, licet opponendi, destinati![126]) Quid? illud liberum arbitrium aut absolutum est aut plane non est. Quicquid enim elegimus et fecimus non obliviscimur, sed retinemus semper ab eo effectum ad bonum malumve protrahentem.[127]) Adde, quod nemo nisi multimode parentum cupidinibus, vitiis et virtutibus praeditus na-

---

122) Bockshammer, Freih. des menschl. Will. Stuttg. 1821.

123) J. B. Meyer, phil. Ztfrg. p. 268.

124) Jul. Müller, Sünde, 3. A. II, p. 32. „Das, was den Begriff der formalen Freiheit konstituirt, kann nur das Anderskönnen sein.“

125) Spinoza, Eth. II prop, 48. Rothe, th. Eth. I § 86 p. 362. Leibnitz, Monadol. § 36 bei Erdmann p. 708. Théod. I, 51. p. 517.

126) Leibnitz, Théod. I, 45. Erdm. p. 515. Il y a toujours une raison prévalante, qui porte la volonté à son choix.

127) Goethe: „Nach dem Gesetz, wonach du angetreten, so mußst Du sein, dem kannst Du nicht entfliehen. So sagten schon Sibyllen, so Propheten; und kein Gesetz u. keine Macht zerstückelt Geprägte Form die lebend sich entwickelt!“

scitur. Rejicimus ergo hunc indifferentismum[128]) pariter atque illum determinismum, qui hominem physicae pure necessitati subjicit.

Atque cum jam vernacula lingua eos actus rerum, qui non ab aliis solum, sed potius ex ipsarum natura sequuntur, liberos vocet; cum porro vel indeterminismus emendata libertatis de finitione nihil postulet, nisi ut nulla alia re destinemur: — nos quidem eam essentiam liberam vocamus, quae ex sua natura agit.[129]) Nullam igitur absolute liberam agnoscimus, aliquo autem modo omnes. Nec enim ulla res etiam naturae ceteris solum rebus destinatur. Sed quicquid eo existit quod se agendo et patiendo obtinet, quam existendi vim ideam supra appellari.[130]) Quo igitur quicquid magis vivit, eo liberius est; atque hominum quicunque maxime suam naturam sequitur, liberimus est vocandus.[131]) Licet hic externis rebus, quae de sua voluntate non dependent, destinetur: quas quum suae naturae aptas cognoverit, libertatem certe recuperavit. Cognitionis igitur est libertas, non voluntatis. Atque is realiter liber est, qui suam veram naturam, i. e. rationalem, quae cum universi ordine non pugnat, sequitur. Libertas igitur est rationalis cum necessitate universi harmonia. Qua in definitione duas partes sejungimus, quarum una promptam objectionem respondet,

---

128) Leibnitz „indifférence absolue, ou d'équilibre, que je crois chimérique." p. 448. 513 u. ö. Schopenhauer, 2 Grdprobl. d. Eth. 2. A. p. 45.

129) Spinoza, Eth. I, df. 7. Ea res libera dicitur, quae ex sola suae naturae necessitate existit et ea solum ad agendum determinatur. Leibnitz de ipsa nat. 10 Erdm. p. 157. Libertas hum. est vis insita, actiones immanentes producendi vel quod idem est agendi immanenter Monadol. § 49 ibid. p. 709. agir-pâtir.

130) E. Zeller, Freih. des menschl. Willens, Jhrbb. V, 3 p. 389. Wie die Schwere der Körper ist, so ist das Freie der Wille.

131) Leibnitz, nouv. ess. II, § 50. Être déterminé par la raison au meilleur, c'est être le plus libre.

altera libertatis notionem emendat. Objiciat enim quispiam: dijudicandine et eligendi facultatem homini tribuis? Profecto. Qua sublata rationem prorsus secluderem. Rationem enim jam supra exposui facultatem esse sciendi et volendi. Scire autem eum puto, qui externarum rerum perceptiones fingit ut praesentium easque ponit; ac velle eum, qui externarum rerum notiones ponit ut futuras. Cogitatio igitur est realis rationis cum rebus conjunctio; appetitio autem futura rationis cum rebus conjunctio. Quam cum velimus (non solum vage optamus), semper boni cupiditate, vel ratione aliqua destinati volumus; atque hanc et non illam rem volumus, eligimus, quippe quam petitu digniorem censeamus quam illam. Dijudicamus ergo et eligimus; sed ut ita dijudicemus, cujusdam semper causae (licet erroneae) est Eligimus igitur semper causis destinati; atqui causis solum in ratione nostra positis; itaque non extrinsecus, sed a nobis ipsis destinati, i. e. liberi.

Atque in hunc sensum libertatis definitio emendetur. Liberum non eum vocemus, qui nullis causis motus agit — talem essentiam nec in natura nec in hominibus existere dico. Nec hoc a determinismo recte explicato contenditur. Contenditur solum hominem agere posse vel contra stimula voluptatis, autoritatis, potentiae. Quod quidem etiam nos toto pectore comprobamus. Potest non solum agere sed semper agit homo omnibus stimulis neglectis excepta ipsius natura. Quae qualis est, tales sunt hominis actus; objective igitur natura sua usque dectinatur. Et quod a multis contenditur: „quod vult homo, potest agere" — rectius ita dicatur, quod potest (ex natura sua) id usque vult.[132]) Subjective autem

132) cf. Kant, Antrop. I, § 10a W. W. X p. Hart. „Was aber ist von dem ruhmredigen Ausspruche der Kraftmänner, der nicht auf bloßem Temperam. gegründet ist, zu halten: „Was der Mensch will, das kann er?" Er ist nichts weiter, als eine hochtönende Tautologie. was er nämlich auf das Geheiß seiner moralisch gebietenden Vernunft will, das soll er, folgl. kann ers

is est liberior, qui cognitis naturae suae intentionibus, sibi conscius hanc necessitatem, quae cum universo non pugnat, sequitur. „Videmus igitur, ait Spinoza (Eth. V, 6) tristitiam boni alicujus, quod periit, mitigari, simulac homo qui id perdidit, considerat, bonum illud servari nulla ratione potuisse." Optimus igitur et sapientissimus quisque i. e. qui potissimum rationi obsequitur, summa fruitur libertate. Atque ut eam rem optime vigere putamus, quae leges ipsius naturae cum toto correspondentes sequitur, ita eum quoque hominem dicimus et bonum et liberum et beatum, qui verae suae naturae itemque universi ordini paret.[133])

Qualis vero est ista vera nostra natura? Quamquam enim vidimus, libertatem esse rationis actionem, vel ejus se conservandi energiam; sciendo enim affirmamus statum, qui jam est, ut nostrum, volendo futurum statum ut nobis aptum bonumque. Tamen vera nostra natura quid sit apparebit exposita ratione qua animus cum corpore nostro conjunctus sit.

Atque istam opinionem imprimis rejicimus, quae animum ut propriam sui juris substantiam cum corpore materiali quasi vinculo connectit. Quasi nos singulare amoris vinculum inter amicos quaerâmus. Per deum, nihil est inter eos, qui se amant, sed amor ille ipsi sunt. Eodem modo corpus et animus mutua semper actione et reactione in unum individuum coalescunt. Nec tamen animus noster omnibus corporis partibus aeque praesens est. Certis enim nervis et sensibus, quos non elegimus, externas res percipimus; quin ne scimus quidem, cur et qua ratione pes eo quo volumus moveatur. Perfectâ igitur

---

auch thun." Quibuscum mut. mut. nostrs sententia infra uberius explanata convenit.

133) Non opus est, in memoriam revocare quomodo libertas „realis" cum nostra consentiat, quae deo absolute, nobis appetenda vindicatur. Rothe, theol. Eth. I § 86 p. 360. Chalybaeus, Philos. u. Christenth. p. 155.

machinâ corporis utitur animus, quam simul ac sibi conscius fit, reperit. Nemo hacusque explanavit, cur hic gestus, illa cordis contractio expansiove, nunc lacrima tunc risus hos vel illos animi affectus concomitantur. Et contra, quae corporis sensus animo offerunt, non imprimumtur ei, sed irritant eum quasi, ut suam naturam secutus subtiliores cogitationes gignat.[134] Est igitur animus et corpus propria sui juris essentia quae incomprehensibili ordine una cum altera sunt et vivunt ita ut sibi invicem suis affectibus occasionem quasi offerant ex sua natura agendi.[135] Quo occasionalismo omnem animi vim creatricem in corpus haud plane negamus; concedendum tamen est, minimam eam esse semperque corporis legibus accommodatam. Seca hunc nervum sensibilem nec usque affectus, quos ille tibi obtulit, percipies; disjunge motorium illum, nec unquam hoc membrum movebis. Est igitur animus singula ris quaedam energia, in cerebro nervique centrata, quae a corpore penitus abhorrens, tamen cum et in hoc ita mutua actione est, ut duae non compositae res sed coefficientes energiae dicendae sint. Utrumque jam primo momento, quo a parentibus homo gignitur, cum altero est; utrumque ex suis legibus se conservat et redintegrat; utrumque alterum alteri occasionem praebet. Ac si hoc loco doctrinam quam supra de spatio protulimus, in memoriam

---

134) Quapropter Kantius ipse contendit sensus non fallere Anthrop. I, § 10. p. 144. „Die Sinne betrügen nicht . . . Dies nicht darum, weil sie immer richtig urtheilen, sondern weil sie gar nicht urtheilen; weshalb der Irrthum immer nur dem Verstande zur Last fällt."

135) Leibnitz, Monadol. § 78 p. 711 Erdm. L'âme suit ses propres loix et le corps aussi les siennes, et ils se rencontrent en vertu de l'harmonie préétablie entres toutes les substances. ib. princ. phil. § 78. Théod. § 61 u. ö. cf. Spinoza Eth. III pr. 2. Nec corpus mentem ad cogitandum nec mens corpus ad motum et quietem determinare potest.

revocaverimus, videbimus animum quantumvis a corpore discrepet, in eo ubique esse i. e. semper in id dominari.

Et nunc quidem quaestionem, quae supra occurrit, utrum fines in mundo statuamus necne, respondebimus. Vidimus, nos tum de finibus loqui quando quid boni cogitamus, quod nisi superatis impedimentis, consequi non possumus. Hoc sensu est quaeque res et persona suus finis. Demonstravimus enim in omni re et persona vim aliquam adhibitis caeteris creaturis necessario evolvi. Quam evolutionem suam qui intellexerit, intellectam affirmaverit, liber vocandus est.[136]) Hic libere fines sibi proponet, i. e. naturae suae intentiones optimas efficiendas ponet, quas tamen solum universi suasque leges secutus attinget. Hoc sensu fines in universum transferri concedo. Ac est universum unicus et suus et omnium rerum finis, i. e. evolvit se ex sua natura omnesque singulas res et personas suae ditionis reddit, quae ipsarum simulque totius leges secutae quam maximam perfectionem attingant.

Effecimus igitur hacusque, ut potuimus, ut totum hoc universum putemus esse organismum, qui ex sua natura (vel si velis: ex suo fine — quod idem est) in rationalibus et non rationalibus essentiis vigeat; qui unicuique rei et personae praesens sit mutua earum actione et reactione; in quo suam quaeque res naturam ut suum finem sequens simal totius naturam finemque nolens volens evolvat.

Dixierit quispiam: quid vero de morali conscientia recti dicis, de culpa, quarum neutram nobis semper inesse negabis? Imo istae meam doctrinam permagne stabiliunt. Quid enim illa conscientia nostra et recti et culpae est, nisi testimonium, nobis universum videri unicum omnium finem, quem secuti liberi, boni beatique erimus.

---

136) Kant, Metaph. der Sitten, Grundlgg. p. 79-94. „Der Mensch denkt sich frei — das ist das Resultat.“

Multae de recti conscientia ineptiae in medium solent proferri. Nobis quidem conscientia videtur esse sensus nostrae melioris naturae, quae nobis imaginis instar ante oculum posita est quam sequamur; quin trahimur hac imagine velut naturae impetu, qui nihil est nisi rationis nostrae vis se evolvens i. e. quae jam existit sed id quod erit, jam non est adepta.[137]) Haec autem imago apud singulos homines secundum sexus, nationis, seculi indolem varia, illud ubique postulat, ut ipsa dominetur, ut rationi ubique pareamus. Praecipit non codicem aliquem legum perse et ubique bonarum sed incultos homines foedis legibus aut stultis obstrictos videmus. Nec vero incultissimus caret conscientiâ i. e. rationis energiâ existendi. Inde illa conscientiae vis, inde ejus postulatio, ut in te quidem sinon in alios dominetur, inde facilitas nostra omnia reliqua bona vel vitam deponendi modone illa tollatur, quam tollere suicidium est. Conscientia igitur eadem est ac mens sibi conscia et cupida imperandi. Quapropter etiam de conscientia aesthetica, literaria etc. loquimur, i. e. de vi nostra rationis, quae nos impedit, quominus pulchra et vera foedis et falsis postponamus.

Quacum ratione, ut vidimus, corpus semper viget. Quod quin idem dominari postulet, fieri non potest. Corpus, quippe quod existere nequit, nisi omnia, quae ei apta occurrunt, corripit sibique assimilat, fruendi principium est. Frui nempe vult ex sua natura cibis, sexu et valetudine. Quas intentiones si sequitur suam quidem voluptatem attingit, quamquam ipse luxuria [luxurie] et pigritia tumescit. Inest autem praeter hos egoisticos vivendi et generandi appetitus in omnibus hominibus rationis appetitus in universum, qui nos nostram solum voluptatem ceterorum neglecta consequi

137) Kant, v. Pädagogik X, p. 387. „Eine Idee ist nichts andres, als der Begriff von einer Vollkommenheit, die sich in der Erfahrung noch nicht vorfindet.“ ib. X, p. 445. „Das Gesetz in uns heißt Gewissen.“

vetat, sed ceterorum si non beatitudinis, tamen exi stentiae rationem habere jubet. Hanc haud claram sed categoricam conscientiam cultiores legibusque ordinati status corroborarunt, immodicum vivendi et fruendi appetitum indies magis restringentes. Ita societatis opera singulorum sensus moralis subtilior et modestior factus est. Optimus autem is videtur esse, cui officium est voluptas, et dignum idem ac jucundum est. Hoc enim nobis persuasum est, nullam moralem doctrinam veram i. e. cum psychologicis naturae nostrae legibus convenientem esse, quae, falso eudaemonismi timore, voluptatis notionem negligat. Confer Kantium: Aspernatus omnem voluptatis motum ad agendum nos solo officii respectu ita agere jubet, ut nostra „maxima regula ceteris lex possit fieri“. Cur autem? quaeso. Quia — respondet Noster — quia alioquin, velut mendacio, omnia perturbarentur. Quid igitur? Nonne universi beatitudo i. e. eudaemonisticus communis finis loco singulae meae beatitudinis ponitur? Quid vero mea interest, ut universum bene se habeat, nisi amore quodam universi moveor i. e. desiderio ut ei placeam. An tu putas, aut boni aut prudentis esse, si quis invito universo universi ordinem vellet? Vult igitur Kantius universi ordinem ex suo ejus amore i. e. voluptate. Ac jure hoc amore destinatur; per se enim quicquam bonum esse negamus sed id solum bonum est, quod alicui felicitatem fert. Etenim ne cognoscere quidem possemus nisi hoc boni desiderio, i. e. animi et corporis appetitu in id quod sibi aptissimum sentiunt. Quod Kantius vel ipse categorico rationis imperativo sed etiam aliis verbis concessit.[138]) Quid enim est illud, quod voluptatem vocamus. Potestne fieri, ut omnino volu-

---

138) Kant, Anthrop. I, § 20. Der Geschmack ein Zeichen der Gedeihlichkeit. ib. I § 38. Zwischen Verstand u. Sinnlichkeit kein Rangstreit. ib. p. 250 II § 58. „Vergnügen ist das Gefühl der Beförderung, Schmerz das einer Hinderniß des Lebens.“

ptas existat, si non ponimus aliquid, quod voluptatem fert, et aliquem, cui feratur? Quin ne fert quidem hoc vel illud voluptatem sed potius ego ipse sum voluptas. Non igitur habeo voluptatem, sed sum motus aliquo modo meae naturae apto i. e. jucundo. Voluptas igitur mihi videtur, is hominis status, quo se ex sua natura vigere sentit.[139]) Quapropter sibi quisque aliud ut suae naturae aptum eligit jucundum. Quod vero jucundum quatenus etiam dignum sit aestimatione, sola ratione dijudicatur. Atque haec quicquid ipsius potestatem evertit vehementer respuet. Unde boni malive notiones ortae sunt. Ratio enim ubique id summum bonum putat esse, quo sua natura valeat. Perlustra, qui de hac re disseruerunt, philosophos: licet summum bonum seu in dei similitudine,[140]) vita rationi accommodata[141]) seu in harmonia[142]) perfectione[143]) voluptate[144]) posuerint — omnes aut objective aut subjective id semper intellexerunt, quo nos eam partem, quae summa iis videbatur, optime vigeremus. Summum bonum igitur vocamus id, quod summae nostrum parti maximam realitatem suppeditat. Atque hoc esse rationem agentem i. e. amorem quis est, qui neget? Amore enim nos ipsi quatenus particulares sumus negantes, totius felicitati dedimur. Quin quantum quisque amat, tantum intelligit, tantum vult; quantum amamus, tantum sumus. Amor enim boni, qui discursive cogitanti in tres partes sejunctus vide-

---

139) Spinoza, Eth. III, pr. XI. Lotze, Mikrok. II, p. 296 f.

140) Platon, Theätet p. 176. τέλος δὲ ὁμοίωσις θεοῦ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.

141) (Stoici) Stobaei Eclog. phys. I p. 132. τὸ δὲ τέλος ὁ μὲν Ζήνον αὐτὸς ἀπέδωκε τὸ ὁμολογουμένως ζῆν.

142) Diog. Laert. VIII, 33. (Pythagorei:) τὴν ἀρετὴν ἁρμονίαν εἶναι καὶ τὴν ὑγίειαν καὶ τὸ ἀγαθὸν ἅπαν καὶ θεόν.

143) Chr. Wolf, Metaph. § 12. Thun, was dich u. deinen eignen sowohl als aller andern deiner Mitmenschen Zustand vervollkommt.

144) Diog. Laert. X, 129 (Epicurei) καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἡδονὴν τὴν ἀρχὴν εἶναι καὶ τέλος λέγομεν.

tur esse: in summum bonum, quo tendimus, in impetum et legem, quam sequimur, nihil aliud est quam rationis nostrae energia. Quin ipse Kantius, quamquam omnes subjectivos motus reprobabat, rationi categorice imperanti palmam tribuit. Et Cartesius contendit rationem in eo quod nobis gravissimum sit errare non posse. Nam etiam in ratione, dicam cum Leibnitio, le présent est gros de l'avenir.[145])

Quantum igitur quisque cultior est magisque rationi addictus, eo magis id ut bonum appetet, quod rationi prodest, i. e. intellectualem amorem.[146]) Quod si facimus et libere agimus et boni ac beati nobis videmur; si non facimus, quamquam brevi sensuali voluptate fruimur, mox aut sero resipiscentes, nos non liberos fuisse quia corpori addictos censemus; non beati sumus, quia nobis ipsi nocentes, et quae fecimus ut verae nostrae naturae opposita i. e. mala reprobabimus. Inde nobis ipsi irascimur, inde nos alicujus rei poenitet, aliquid culpae nobis vertimus. Quamquam in omni „peccato" actuali est deceptio et ignorantia, quia nemo vult malum sub ratione mali,[147]) sed voluntas semper fertur in bonum vel verum vel apparens. Nihilominus nos condemnamus — penes nos enim fuerat dijudicandi facultas inter duas quae nobis occurrerunt res, utra veram nostram naturam maxime augeret; nos sumus qui etsi obcaecati et hebetes nobis ipsi nocuimus. Vivit enim in omnibus hominibus praeclara illa boni imago, id est ratio, quae quotiescunque sensuali voluptate negligitur, denuo semper corroboratur.[148]) Cui igitur quoties non satisfecerimus, poeniten-

---

145) Leibnitz, répl. aux réfl. de Bayle Erdm 187.

146) Spinoza, Eth. IV, 19.

147) Maresii, loci p. 469. 70. Leibnitz, théod. I, 45. Erdm. p. 516.

148) Ulrici, Gott u. d. Mensch I, p. 634—43. J. B. Meyer, philos. Zeitfragen p. 264. Hemann Aphorismen u. d. Gewissen Jhrbb. dtsch. Theol. XI, 3 p. 498. R. Rothe th. Eth. II, p. 27. Ritter Enzycl. d. phil.

tiae doloribus cruciamur, quamquam si statum in quo fuimus peccantes clarius perspexerimus, nos haud aliter agere potuisse concedemus. Et tamen nobis aliquid tribuis culpae? Profecto. Quid enim est culpa nisi status rationalis essentiae, qui et reprobandus et ipsi ut causae adscribendus est. Quis autem hoc vel illud a ratione tua reprobatum fecit, nisi tu? A te poena petetur, vel potius jam petita est, licet te inscio. Taceo, omnes sensuales appetitus: voluptatis et vitae, seu pecuniam, potentiam, honorem, seu cibum aut concubitum appetentes, nobis id quod optamus nullo modo praebere — etiam si externa felicitate fruamur, mali semper et miseri et contemnendi nobis videbimur. Mala enim est non haec vel illa actio humana velut necare, vesci nec haec vel illa cupiditas: honoris, pecuniae, sexus — sed unius sui commodi appetitus, reliquorum commodo prorsus neglecto, quo ratio, quae in universum tendit, offenditur. Quid igitur clarius quam ut haec, si superat sensuales volitiones, se vigere sentiat, actionemque, qua viget, bonam appellet; vincente autem sensuali natura, actionem malam? Ita perpetuo inter rationem et corpus certamine progredimur ad majorem rationalis aut irrationalis partis energiam, i. e. virtutem aut vitium. Virtus enim est, ait recte Spinoza, ipsa humana potentia, quae sola hominis essentia definitur.[149] Vera autem potentia hominis in ratione valente ponenda fuit; ratio autem omnium beatitudinem vult, quâ stabilitâ etiam nostra nititur.

Wissensch. III. p. 52. Schlottmann Bgr. des Gewissens dtsche. Ztschr. f. chr. W. u. chr. L. 1859 p. 119. Lotze, Mikrok. II, p. 300. Harleß, chr. Eth. 6. A. p. 52. Romang, Willensfreih. u. Det. p. 139.

149) Eth. IV, 20. cf. Aristot. Eth. Nic. I, 6. ἡ τῆς ψυχῆς ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετήν. Schiller, W. W. XI. p. 354. ü. Anmuth u. Würde: „Die schöne Seele hat kein anderes Verdienst, als daß sie ist. In der schönen Seele ists also, wo Sinnlichkeit und Vernunft, Pflicht u. Neigung harmoniren, und Grazie ist ihr Ausdruck in der Erscheinung.“ — Schleiermacher, phil. Sittenl. § 81. 91.

Potentia igitur rationis virtus est et beatitudo ut summum bonum fuit et officium.

Sistamus autem hic aliquantum ut quod hactenus inductiva methodo invenimus videamus.

Invenimus totum universum esse organismum, cujus membra singulae res sunt, quae suas quaeque leges vel ideam sequentes una tamen vi universali complectuntur. Haec vis per omnia penetrat et dominatur ubique; haec singulas res invitas et inscias ducit agitque, licet hanc universi vitam sub specie vis, legis finis contempleris.

Existunt autem praeter istas materiales res in quibus insciis et invitis unum commune quid vivit, rationales quoque homines, qui, sibi conscii suique compotes, totius simulque suam veram existentiam et intelligere possunt et velle. Sed ne hos quidem ex totius universi ditione exemptos vidimus. Sequuntur enim leges et suas ot externae naturae; necessitati addicti sentiunt, cogitant, volunt, et hac sola re a materialibus rebus discrepant, ut quod ex ipsarum natura necessario fit, intelligendo et volendo ideoque libere sibi adsciscant.

Porro invenimus etiam in hominibus commune quid omnipraesens, conscientiam scilicet recti et boni et pulchri, quae cuivis innata suo nationisque in qua vivit progressu colitur et expolitur. Quid? illa conscientia nos super nos ipsos effert atque inscios saepe et invitos destinat, illa nos suae ditionis reddit, cum beati fiamus si ei obsequimur, si non obsequimur, miseri.

Atque hanc omnipotentem veri et boni et pulchri vim, quin in nobis solum dominari putemus impedimur. Primo enim suam quisque ideam quam sequitur in toto genere hominum viventem videt. Deinde una est ratio quae nos cum universo complectitur — alioquin spem universi cognoscendi abjiceremus. Unam cernimus esse boni ideam, cum con-

scientia boni, quae in nobis inest, nisi communem omnium felicitatem appetimus, etiam nos bonos esse neget; unam esse pulchritudinem putamus, quae nobis ex certis et naturae et nostrum formis appareat.

Atque has veri, boni, pulchri ideas non tres esse sejunctas sed unam trinam et sensu et ratiocinatione persuasum habemus. Quid enim est verum nisi consensus objecti cum subjecto, vel rei cum idea; quid est, quaeso, bonum, nisi quod cum ratione non pugnat; quid denique pulchrum est, nisi singularum rerum secum et cum toto harmonia? Quid multa? unum idemque est bonum, verum pulchrum. Quodsi centratum instar rationis nostrae cogitamus, jure appellamus deum. Neminem autem fugit, triplicem illam ideam boni, veri, pulchri velut mathematicum punctum describere, stulti esse. Idea enim veri, boni, pulchri postulat res, quibuscum vel per quas harmonia rationis evolvatur; et ubique solum verae cogitationes, boni actus pulchraeque imagines existunt. Rejicimur ergo etiam hic ad universum. Sumus igitur in prima Kantii antinomia[150]) quae ut omnes metaphysicae conclusiones sophistica subreptione laborat. Datum nobis est universum omnibus partibus condicionatum; concludimus autem falso ab illo ad absolutum quoddam. Et tamen notio dei rationi nostrae non minus necessaria est quam ille concludendi modus. Ac Kantius noster difficultatem ex suo rei per se et rei apparentis discrimine ita solvit, ut nos in ideam absolutam non in absolutam rem objectivam concludere jubeat. Hac via absolutum quoddam in nobis: animum, extra nos: mundum et „possibile omnino“: deum inveniemus. Nos quidem, qui illud discrimen inter rem per se et rem apparentem, quo tota critica philosophia nititur, reprobamus, nec

---

150) Kant, K. d. r. V. Tr. Dial. II. Bch. p. 307. 308. I. Bch. 3. Abschn. p. 302 f. II. Bch. 2 Hptst. p. 330 f. cf. Prolgg. III. Th. § 50. Kr. d. r. V. p. 434.

primam nec quartum antinomiam concedimus aut deum concedimus nihil esse nisi purae rationis ideam.[151]) Quamquam illud affirmamus, deum esse notionem quae nec intellectu nec experientia capiatur. Rectius Schleiermacher[152]) nobis videtur judicasse, cum secundum orationes suas ad eruditos in libro qui vocatur dialecticus contenderet: duas ideas, mundi et dei, easdem esse et non easdem. Namque deum cogitantes unum ponimus sine multitudine; cogitantes mundum, multitudinem sine centro; ibi omnia contraria negantur hic ponuntur omnia. Nec tamen una idea sine altera cogitanda est. Sunt enim unius rei diversae notiones. Nos quidem etiam ab hoc philosopho abhorrentes hominis organismum secuti deum ita cogitamus.

Deus est ratio omnipraesens, per se bona, vera et pulchra, quae omnes particulas universi i. e. corporis sui penetrat, regi ac sustentat. In deo sumus et vivimus omnes; in eo res corporeae fiunt, moventur et pereunt, is est substantia, vis, lex, finis unde proficiscuntur omnia et quo omnia redeunt. Is solus vere vivit, nec tamen per se vivit sed per omnia atque singulae res, quo magis ei se dant eo majore vita florent. Illum appelles substantiam; quatenus ad constans Esse respicis; vim si ad motum; legem nomines, si perpetuas formas spectas, finem, si eum sibi conscium seque volentem cognoveris. Deus est bonus — nam nihil sequitur

---

151) Kant, K. d. r. V. Tr. Dial. II. Bch. 3 Hptst. Abschn. 1 u. 2. p. 440—450. Prolegg. Th. III. § 55.

152) Schleiermacher, Dial. 1839. § 210—227 Beil. C. D. Die beiden Ideen: Gott u. Welt, sind einerseits nicht identisch. Denn wenn wir Gott denken, so setzen wir eine Einheit ohne Vielheit, denken wir aber die Welt, eine Vielh. ohne Einh.; oder die Welt ist die Totalität aller Gegensätze, die Gottheit die Negation aller Gegensätze. Andrerseits ist doch keine dieser beiden Ideen ohne die andre zu denken. Sobald man insbesondere Gott vor der Welt oder ohne die Welt denken will, wird man sofort inne, daß man nur noch ein leeres Phantasiebild vor sich hat. Wir sind nicht befugt, ein andres Verhältniß zwischen Gott und Welt zu setzen, als das des Zusammenseins beider.

quam se ipsum, verus, quippe secum non pugnans, ac pulcher vocari oportet, utut optima omnium quae sunt harmonia.

At nos nihil sumus nisi „modi“ substantiae? Imo vero maxime. Quamquam nos vivendo et cogitando universi ac naturae nostrae, quam nobis quidem nen debemus, legibus obsequimur, tamen ratione, qua nostri compotes fimus, aliquatenus nostri juris sumus. Concessit enim deus censcientiae nostri, quae docet, quid simus et possimus, creatricem aliquam potentiam, ut novi quid incipere possimus. Quod quidem ita explicamus. Contemplanti rerum naturam unaquaeque perpetua atomorum complicatio videtur esse, quae semel orta impetum existendi mutua actione et reactione praestat. Quin quicquid ei perturbationem aut interitum minatur, repulsat res ipsarum energia aucta. Existunt igitur non hoc vel illo temporis momento totae, sed universa ratione penetratae, ut sollicitantibus ceteris rebus, nova majorque vis evenire videatur. Quibuscum conferas hominem: etiam in hoc vivit universa ratio ut in aliqua atomorum complicatione, cujus tamen idea non solum vivit sed etiam se vivere scit, ideoque quicquid agit patiturve suae ipsius naturae vindicat. Est igitur hominum quisque una divinae rationis cogitatio,[153]) quae sibi ipsa conscia omnem suum statum cognoscit et secundum meliorem suae naturae partem, i. e. rationem comprobat aut reprobat. Concessit igitur deus vel potius contigit ipsi, quippe qui universa ratio est, ut singulae ejus cogitationes usque cum alius generis atomis connexae ipsarum consciae sint. Quid? non solum sibi consciae sed etiam se ipsae volentes atque affirmantes.

---

153) Leibnitz, monadol. 47. Erdm. p. 708. Ainsi Dieu seul est l'unité primitive ou la substance simple originaire, dont toutes les Monades . . . sont des productions, et naissent, pour ainsi dire, par des fulgurations continuelles de la Divinité.

Dixeris: at tunc deus nihil est, nisi aut substantia partim materialis, partim rationalis per omnes res fluctuans, aut idea, quam nos quidem a rerum multitudine abstrahimus. Itaque cum antea viderer nostram existentiam negare, nunc accusor, quod deum suo jure privavi.

Ne me fugit, quibus difficultatibus via quam sequor intercludatur. Minatur imprimis pantheisticus ille error, qui deum cum mundo penitus confundit; quem etiamsi vitaverimus, hoc quidem efficere non posse videmur, ut deum personam esse comprobemus; quin vel hoc comprobato erunt qui nostra doctrina maxime offendantur. Sed mittam has dubitationes, quae omnes jam eis quae haeusque exposui, fere remotae sunt.

Ac primo quidem pantheisthicam dei cum mundo confusionem nos eo vitasse putamus quod hominis rationi singularem et locum et dignitatem supra attribuimus. Recorderis, quod de humana ratione docuimus: vim eam esse aliis atque corpus atomis quasi constitutam quae permagno existendi impetu suas semper leges sequatur et quamvis non per totum corpus aeque perfusa sit, tamen secundum nostram de spatio doctrinam ubicunque operatur, ibi existit. Transfer hanc definitionem limitibus remotis ad deum; de deo enim quicquam dici negamus posse, nisi nostrae naturae similia —: invenies eum non modo omnipraesentem esse sed etiam p e r s o n a l e m. Quid enim? cum nostra ratio „praestabilitâ quasi harmonia“, quam ipsa nec fecit nec intelligit, cum suo corpore in unum individuum coalescat — universalis ratio, nullis limitibus constricta, omnipraesens cuncta pervadit; nostra ratio magno suo existendi impetu paullatim ditionem in corpus suum et externae naturae partem aliquam consequitur — universalis ratio, quoniam cuncta simul complectitur, absoluta ditione floret; nostra ratio quoties corpore prohibetur, quominus convenienter suae naturae vivat, negari se

et doloribus culpae poenitentiaeque affectam esse sentit — summa ratio, cui suum corpus (universum) nihil impedimenti offert, summa et bonitate et beatitudine fruitur. Atque cum viderimus, nos, qui personae vocamur, nobis conscios nostrique compotes esse secundum eas scil. leges quibus obsqui cogimur, obsequendo autem eis reali libertate frui: quis est quin deum veram personam nominet. Quin deus, quem hacusque descripsi revera personam, nos autem debilem ejus imaginem vocare non dubito Nostrum enim et scire et velle finitum est ideoque sejunctum — in deo utrumque unum est et idem. Quid? cum praeter deum nihil dici possit, in quod velut in materiam agat; porro, cum is qui omnipraesens vivit, nullam praeter se habeat legem cui pareat, nullum finem in quem nitatur, nihil quod impedimentis superandis adipiscatur – nonne sequitur ut deus quicquid scit, velit, et quicquid vult eodem quoque momento faciat. Quovis igitur nomine utaris, mihi quidem scire, velle, agere nihil aliud videtur esse, atque divina vivendi energia, qua deus sibi conscius suique compos suam semper naturam evolvit.

Scit igitur omnia, vult omnia, agit omnia, i. e. scit et vult et agit se ipsum, i. e. viget. Omnipotentia fruitur ac nullam aliam voluntatem offendens: sanctitate; omniscientia quoniam nihil fit nisi ipse, itaque veritate. Hic deus liber est idemque necessarius. Ex sua enim natura operatur suis, quas nullus alius posuit, legibus obsecutus. Utut deum vocas, omnia attributa potentiae, sciendi et sanctitatis significant hoc unum: vivit deus convenienter suae naturae. Cujus rei si rationem habemus, omnes quae ei adscribi solent qualitates: sanctitatem, justitiam, misericordiam etiam porro concedamus. Imprimis autem deum vocemus amorem: siquidem amorem recte vocaverim impetum alicujus essentiae ex sua natura necessarium in id, quo majorem vim vivendi sibi fore sperat. Quem si in nobis necessario proficisci ex nostra

natura nemo sobrius negat — neque enim penes nos est quem nobis amicum adsciscamus quem reprobemus — ac propterea amor nobis summa hominis vis ipsaque vivendi energia videtur: quanto putas deum esse amore, qui nulla re quin vigeat prohibetur. Atque hoc summus amore sui, quem habet vel potius qui e s t omnia sua membra pariter amplectitur. Quid enim? quoniam vel minima res finis dei simulque medium est, unde deus aliam rem alio amore ornare videatur. Dixeris: quid? num deum putas eodem amore affecturum esse malos ac bonos? Profecto. Quamquam haec est quaestio per se, unde malum oriatur, utrum ex deo an homine; et si ex homine, utrum ex ratione an corpore (nobis quidem supra placuit dicere ex corpore) — illud quidem clarum est: in natura nihil esse peccati; homines quoque quos vocamus malos etiamsi etiam deo mali videantur, tamen a deo amari. Qin hoc audemus dicere: eos non eodem amore affici ac, quos vocamus bonos. Quid enim? Deus est ratio. Peccantes homines rationi non obsequuntur; nonne deus hos eo momento quo peccant respuet et condemnabit? Ac scimus hoc quotiescunque peccant fieri. Sed non homines respuit deus sed quod faciunt. Nam cum a natura ita generati sunt, ut cum sibi conscii fiant, se reperiant partim corporis partim rationis imperio addictos; porro cum nulla actio per se mala sit sed solum si totius beatitudo ea negligitur; tandem cum sua quisque conscientia (ratione) praeditus sit, quae in totius beatitudinem tendit, itaque nemo penitus malus inveniatur — nonne deus omnes homines amabit, quorum quisque plus minusve virtutis consecuturus est. Quod ex tota nostra doctrina clare sequi videtur. Diximus quicquid in natura irrationali et rationali, omnem stellam et arborem, omnem bestiam et hominem, esse unam cogitationem dei. Quarum cogitationum quoniam aliquam partem jam sunt aliquam partem nondum sunt, uni-

versae rationi et humanae, quae sibi conscia est, imperfectae ideoque emendandae videntur. Universa quidem ratio (i. e. deus) perfecta et fuit et est et erit. Sed cum novam semper ipsius imaginem cogitet singulasque cogitationes indies mutet, ut tota ipsius essentia evolvatur, singulas cogitationes negari et tolli oportet. Ita novae semper oriuntur et pereunt personae, familiae, nationes; ita oriuntur et pereunt terrae stellaeque. Quarum unaquaeque perfecta est ut cum sua natura et cum dei consilio non pugnans; eademque imperfecta, quoniam particularis et finita est. Atque haec est praeclara et perfecta dei vita, ut singulis denuo mutatis aeternam suam et eandem optime evolvat.

Quid? hunc deum, cujus nos ipsi pars sumus, non diligemus? Quin diligimus eum quantum nos quoad meliorem naturam diligimus; propugnamus, cuivis materiali et particulari intentioni oppugnantes, ejus participes fimus, quotiescunque verum quid cogitamus, bonum quid facimus, pulchrum quid videmus. (Leibnitz s. fin. Monad. § 90. Erdm. p. 712.) Quid multa? quanta religionis voluptate pium animum affectum iri putas, qui hanc nostram doctrinam toto pectore per totam vitam sequatur? Quanta videtur tibi fiducia frui in deum, cujus potentiae partem se esse persuasum habet; quanto amore vel minimas res completetur, ut ipsi affines; quanto ardore omnes malas i. e. irrationales volitiones repudiabis; quam sublimi et modesto animo cum deo ad ipsius perfectionem tendere gloriabitur. Haec censcientia nos fortes reddit et tranquillos, pios et beatos, meliorisque semper studiosos, quoniam nos in deo totos positos esse scimus quocum verum bonum pulchrum sequentes majore semper beatitudine fruimur.

VITA

Friderici Gotth. Kirchner.

Natus sum cal. Maj. MDCCCXLVIII pastoris filius, Spandoviensis. Studiis liberalium artium in gymnasio Joachimico Berolinensi absolutis, theologicae facultati Halensi adscriptus, praeceptoribus theologicis nec non philosophicis plurimum debeo. Nam cum J. Müller disciplina sua accurate non solum fundata sed etiam exstructa ad tractanda dogmata me incitaret, Erdmann autem eleganti sua et subtili, qua philosophiam docuit ratione animum ad quaerendam veritatem defigeret: Tholuck patris instar mecum de variis dubitationibus colloquebatur.

Postea civibus academiae Berolinensis adscriptus, itinere per Germaniam et Helvetiam peracto, theologico convictui, qui vocatur Johanneum, praepositus sum, ubi officio moderandi sodalium studia in theologicis et philosophicis aliquantum profeci. Ac potissimum exegeticis V. et N. T. studiis indulsimus simul philosophorum dogmata strenue tractantes. Ego quidem magnam operam navavi in Spinozam, Schleiermacherum, Rothe, in Kantium, Platonem, Aristotelem et Leibnitzium cognoscendos.

Jam nunc relicto convictu cum, in Britannia amatis studiis incumbens, totam quam peregi vitam contemplar, summas gratias ago et Dornero, amatissimo viro, omnibusque praeceptoribus, qui me in studiis adjuverunt, et Deo, a quo omnia eveniunt et quo redeunt omnia.

THESES.

I. Spatium nec per se aliquid est, nec sola hominum intuitio sed mutua rerum actio, locali ut ita dicam sensu a nobis percepta.

II. Discrimine inter materiam et formam explicamus totam et mundi et hominis naturam; nam suam quaeque res formam vel ideam evolvit.

III. Libertatem Kantianam, quamvis ex communi sensu nullam, nos quidem veram putamus esse. Etenim quo quis magis ex naturae suae necessitate agit, eo liberior est vocandus. Libertas igitur est rationis nostrae cum universa necessitate harmonia.

IV. Conscientia est rationis energia existendi, quae id, quo impeditur ipsius voluptas, reprobat et ut malum condemnat. — Voluptas enim videtur esse is rationis status, quo se ex sua natura vigere sentit.

V. Universum est organismus, cujus membra alia inscia alia sibi conscia una eademque ratione penetrantur. Haec omnipraesens ratio est persona quae necessitatem suae naturae libere secuta omnipotens bona et pulchra est ac veritas suique intellectualis amor.

Typis Gebauerio-Schwetschkianis Halis.